IN

PHLEGMASIA ALBA.

Dk 2054(1

DE

PHLEGMASIA ALBA.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM CONSENSU

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS HALENSIS

ERUDITORUM EXAMINI SUBMITTIT

HENRICUS HOFFMANN,
MOENO-FRANCOFURTANUS,
MEDICINÆ, CHIRURGIÆ ET ARTIS OBSTETRICIÆ DOCTOR.

FRANCOFURTI AD MŒNUM,

TYPIS HENRICI LUDOVICI BRŒNNERI.

MDCCCXXXIII.

Bayerische
Staatsbibliothek
München

VIRO

ILLUSTRISSIMO, DOCTISSIMO,

INTEGERRIMO

PRÆCEPTORI SUMME VENERANDO

J. M. MAPPES,

MEDICINAE, CHIRURGIAE ET ARTIS OBSTETRICIAE DOCTORI, MEDICO PRACTICO MOENO-FRANCOFURTANO.

HASCE

STUDIORUM LITTERARUMQUE PRIMITIAS

VERECUNDE OFFERT

AUCTOR.

Digitized by Google

DE PHLEGMASIA ALBA.

§. 1.

Morbus ille rarus, quem per *Phlegmasiae albae* nomen intelligimus, plerumque puerperas invehens, doloribus ac febre incipiens praesertim calido, candido, dolente, atque elastico tumore (fere semper extremitatum inferiorum) notatur.

Malo satis magnus numerus est nominum partim a symptomatibus derivatorum, partim ad supposita morbi causas proximas spectantium. Huc pertinent: *Oedema lacteum; Oedema puerperarum* [1]); *Phlegmasia lactea* [2]); *Jschias a Sparganosi* [3]). — *Scelalgiam puerperarum Siebold* [4]) praefert. Francogalli morbum signant vocibus: *Enflure des jambes laiteuse; Infiltration laiteuse; Dépôt laiteux à la cuisse.*

---

1) P. Calliſſen, Syſtem der neueren Wundarzneikunſt. aus d. Lat. v. K. G. Kühn. Kopenhagen. 4te Auflage. 1803. 2ter Thl. §. 35 u. ff.

2) *Sauvagesii* Nosologia methodica. Lipsiae. 1797. Tom. V. p. 67.

3) Ibidem. Tom. IV. p. 224. *Σπαργάνωσις* (vel potius *Σπάργωσις*, infaretio) apud *Dioscoridem* metastasin significat lacteam, e polygalactia ortam. —

4) A. El. v. Siebold, Handbuch zur Erkenntniß und Heilung der Frauenzimmerkrankheiten. Wien. 1829. 2ter Band. 3ter Abſchnitt. pag. 421 — 448.

Angli autem magna cruciantur verborum turba: *painfull intumescence of the lower extremities incident to lying-in women;* sive brevius rem appellant: *wilk leg*; *swelled*, sive *white leg*. Nostrates: weiße Schenkelgeſchwulſt der Wöchnerinnen. —

Phlegmasiae albae dolenti puerperarum cognomen: *puerperarum* jam jure a clar. *Caspero* ablatum est. — Quum autem vox adhuc longior, et cognomen: *dolens* nobis, *phlegmasium* a φλέγω (ardere) verbo, neque a φλέγμα (pituita) derivantibus [5]), igitur per hoc verbum non *pituitae accumulationem*, sed *inflammationem* intelligentibus, omnino superfluum videretur, continuimus nos in breviore: *Phlegmasia alba.*

§. 2.

Veterum medici morbum praetermiserunt, et *Mauriceau* [1]) (1718) primus, qui eum accuratius demonstravit, fuisse videtur. *Sydenham* [2]) quoque fortasse eum observavit; quae autem l. c. de morbo quodam hystericis adnumerato affectibus dicit, incerta alii ad *Pneumatosim hystericam* referenda putant; prior sententia mihi probabilior videtur. — Medio seculo praeterlapso praesertim Francogallis *Nic. Puzos*, *A. Levret*, *Sauvages* mentis cogitata elocutis, versus finem Angli

---

5) De discrimine inter *phlegmasiam* et *phlegmatiam* cfr. *L. A. Struve:* Commentatio de phlegmasia alba dolente cet. Tübing. 1825. pag. 8. Nota 2.

1) *Fr. Mauriceau:* Traité des maladies des femmes grosses et de celles, qui sont accouchées. V^ème^ édit. Paris. 1718. I. cap. XX.

2) *Sydenham:* Opera omnia cur. *Kühn* Lipsiae. 1827. (Dissertatio epistolaris) pag. 344.

in publicum prodierunt: *Trye*, *Ferriar*, *Hull*, *White* (1784 — 1801). Quorum postremus quidem optime de re meritus est, primus morbum accuratius observans et diligentius exponens. Germanorum *L. Boër* primus rem cogitatione complexus comperta et sententias suas promulgavit. Recentiore aetate virorum clarissimorum *D. Davis*, *Casperi*, et *Struve* merita in commentariis laudandis sunt maxima. —

De morbi cognitionis historia cfr:

Fr. L. Meissner: Forschungen des neunzehnten Jahrhunderts. *Leipzig.* 1826. p. 261 — 273.

§. 3.

Scriptorum penuria facile morbi raritate enodatur. Secundum Doctorem *Bland* [1]) ex 1897 puerperis in nosocomio illo „Westminster general dispensary" appellato quinque phlegmasia alba affectae sunt, omnesque sanatae. — Hoc rationem reddit arithmeticam: 380 ad 1. *Wyer* [2]) ex 989 puerperis 5 morbo nostro aegrotantes vidit (238: 1). *Sankey* [3]) in ducentis in-

---

1) Philosophical Transactions. Vol. LXXI. Part. 2. Art. 22.

2) *Hufeland*: Journal für praktische Arzneikunde. 1817. St. VI. S. 48:

Dr. Wyer, Bemerkungen über die Geschwulst der unteren Extremitäten bei Kindbetterinnen, a. d. Engl. v. G. v. d. *Busch*, mit Anm. v. *J. A. Albers*.

3) Archiv für medizinische Erfahrung v. *Horn*, *Nasse* und *Henke*. 1819. Jul. u. August. p. 213.; continet. pag. 183 et seq.:

a) *Simmons:* Über Phlegm. alb. (ex XV. Vol. medical and physical Journal by *Bradley* and *Batty*.)

b) *Wyer:* Comment. laudt. (ex XXIII. Vol. medical and physical Journal by *Bradley* and *Shearman*.

venit unam. *White* [4]) multo majorem rationem affert. Quatuor solum 8000 puerperarum phlegmasia alba laborarunt (2000: 1) — *Jörg* [5]) illi morbus nunquam obviam venit. *Siebold* [6]) in praxi annorum XXVI quinquies solum morbum vidit. *Albers* [7]) pariter. *Struve* [8]) illi, ut decem annorum stadio *quindecies* observaret, contigit. In Brittania morbum crebriorem esse, fortasse ex allatis provenire videtur. —

§. 4.

Jam pro viribus accuratam Phlegmasiae albae imaginem depingamus. Morbus, ut facilius perspiciatur, in tria stadia dividi potest, in *St. primum* sive *dolorosum* (Siebold) vel melius *febrile;* in secundum, *Stad. tumiferum*, et in tertium, *Stadium chronicum* s. *sequelarum*. Secundum et tertium in unum, nisi fallor, fortasse redigi potest.

I Stad. febrile.

Malum plerumque puerperas invehere, et fere

---

c) *Fr. Moore:* Über phlegm. alb. dol. (Vol. XXXII. med. and physic. Journ. b. *Fothergill.*)

d) *W. Sankey:* Bemerkungen über Phlegmasia dolens. (Edinburgh medic. and surgical Journ. Vol. X.)

4) *C. White:* Untersuchung der Geschwulst bei Kindbetterinnen an den unteren Gliedmassen, a. d. Engl. Wien. 1802. p. XIII.

5) *J. Ch. G. Jörg:* Handbuch der Krankheiten des Weibes. 2te Auflage. Leipz. 1821. p. 896.

6) l. c. p. 423.

7) *Hufelands* Journal. 1817. 2tes St. p. 13; inest: *J. L. Westberg:* Phlegmat. dol. puerper. a. d. Schwed. von *L. Hampe*, mit einer Nachschrift v. *J. A. Albers.* —

8) l. c. p. 8.

solis in extremitatibus inferioribus sedem habere, plerumque in altera tantum, hic obiter memoramus; postea fusius de hac re loquemur. Interdum ultimis jam graviditatis mensibus morbi imminentis *prodromi*, profundi in crure et in regione inguinali dolores, membrorum lassitudo, levesque motus febriles se ostendunt. [1]) Nonnunquam tumorem pedum oedematosum hoc tempore morbum praedicere dicunt. Plerumque autem omnia haec molimina desunt, mulieribus graviditatem optima valetudine absolventibus.

Partu — fuerit facilis aut difficilis — peracto morbus dolore plerumque in crure incipit. Temporis spatium inter partum editum et morbi initium varium est. Plerumque hoc secundam in hebdomadem incidit; quod autem neutiquam pro regula habendum est. — Interdum dolorem statim partu peracto sentit aegrota; aliis autem in casibus morbi initium usque in quartam, vel sextam protrahitur hebdomadem. Sic narrat *Westberg* [2]), proxima jam die dolorem in dextra coxa apparuisse, et mulierem de doloribus in ejusdem lateris crure questam esse. — Similiter res se habuit apud ægrotam a nobis observatam. Idem viderunt *White* et *Casper*, ubi horis viginti quatuor post partum „dolores acerrimi primum in cruris dextri genu articulo exoriebantur, qui mox autem sursum deorsumque

---

1) Cas. huc pertinentes vid.: *Westberg* in Hufeland. Journ. l. c. p. 4. — *Struve* l. c. p. 32. *J. L. Casper:* Dissertatio de phlegmas. alb. dolente. Hal. 1819. histor. morb. II. p. 55. Quae autem clar. vir pag. 14 dicit: „Morbum *plerumque* jamjam in graviditate symptomata valetudinis adversae antecedunt", certo ita se non habent.

2) *Hufeld. Journ.* l. c. p. 5.

in totum crus sese extendebant.“ [3]). Quinto post partum die dolorem incipientem observarunt *Ferriar* [4]) et *Casper.* [5]) — Ab altera autem parte morbi eruptio saepe diu producitur, et huc pertinent casus illi, ubi *Sachtleben* [6]) hebdomade quarta, *White* quinta, *Puzos* sexta et *Steffen* [7]) die quadragesimo post partum editum morbum observarunt erumpentem.

Nec minus varie, quam quod ad initii pertinet tempus, dolor se habet quod ad sedem primariam. Locus consuetus, ubi primo apparet, coxa est et regio inguinalis. Interdum autem primo in genu vel in sura sentitur, quorum alterum a *Casper*, alterum a *Davis* [8]) et a nobis observatum est. *Siebold* [9]) narrat, apud ægrotam a se observatam ardorem et pruritum in planta pedis morbum antecessisse. Secundum *White* [10]) dolori in coxa plerumque dolor sub costis inferioribus, et interdum in regione hypogastrica praeire solet; quod autem neutiquam semper observatur. —

---

3) *Casper* l. c. pag. 52.

4) Auserlesene Abhandlungen: Bd. 19. —

5) l. c. p. 52.

6) *Starks* Archiv für Geburtshülfe. II. 2. p. 47.

7) *Hufeland*, Journal. 1820. 6tes Stück. p. 100. — (*Steffen*, Beobachtung einer Phlegmas. alb.)

8) Sammlung auserlesener Abhandlungen zum Gebrauch für praktische Aerzte. Bd. 31. S. 699: *David D. Davis:* Ueber die nächste Ursache der Phlegmas. dolens. (aus den Med. chirurg. Transact. Vol. XII. P. II. pag. 419.) —

9) l. c. p. 423.

10) *Ch. White:* An inquiry into the nature and cause of that swelling on one or both of the lower extremities, which sometimes happens to lying-in women. Edit. I. 1784. p. 7.

A primaria sede dolor initio non admodum vehemens et obscurior plus minusve celeriter per totam diffunditur membrum, ad pedis digitos usque et ad labia pudenda prodiens, ad ventrem inferiorem interdum surgens. Sæpe ad atrocissimum auctus, fastigium nactus omnem impedit membri motionem, omnemque digitorum tactum intolerandum reddit. [11]) Partes pudendæ, regio inguinalis et genu articulum praecipue dolent. — Dolorem praesertim interiore membri latere decurrere, contendi nequit; tota extremitas æqualiter dolet; et auctoribus illud affirmantibus amor conjecturæ aetiologicæ præcipuus fuit doloris gubernator. — Interdum autem *nervi cruralis* [12]) et *nerv. obturatorii* decursum sequitur. Nonnunquam quoque dolor sursum extenditur ita, ut *Hull* [13]) affirmaret, eum in inguine incipientem Musculum *Psoas* et *Iliacum internum* sequi Ischiadi similem vehementi.

Inenute vel saepius inito dolore et in vasorum systemate surgunt symptomata morbi, quae febris plerumque sine frigore coepit. — *Westberg* [14]) ægrotam vicissim calorem et frigorem sentiisse affirmat.

---

11) *A. E. Siebold*, Journal für Geburtshülfe, Frauenzimmerkrankheiten ect. B. IV. S. 73.
(Dr. Fr. L. Meissner, Beobachtung einer Phlegm. alb. dol. puerp. p. 76.)

12) *Casper* l. c. p. 62: „Secundum aegrotae narrationem dolor ex abdomine oriri videbatur, et in superiore *interioreque* cruris latere ad medium hujus membri descendebat, latus externum *non* doluit.“ —

13) *Hull*, Essay on phlegm. dol. including an account of the symptomes, cause and cure of peritonitis puerperalis. Manchester. 1800. p. 134.

14) *Hufeland*, Journ. l. c. p. 5.

Arteriarum pulsus frequens (120 — 140 per sexagesimam horæ partem), celer et plenus; durum autem non fieri dicunt. At *Wyer* [15]) in morbi historia accuratissima affirmat, pulsum admodum durum fuisse. Idem *Becker* [16]) contendit. — Cutis temperies aucta, et ægrota siti vehementi cruciatur. Febris sine dubio formam præbet inflammatoriam et continuam remittentem. *Struve* [17]) malum febri quartana intermittente, mox autem in remittentem formam transeunte, incipere vidit. *D'Outrepont* [18]) tres vult observasse casus omni febre carentes. —

Eodem tempore sympathice correpta ægrotant organa digestionis; interdum quoque cerebrum. Ciborum appetentia evanescit; lingua albide vel sordide obtecta, neque autem arida; gustus amarus vel aliter perversus. Accedit nausea usque ad vomitum interdum aucta. Alvus obstructa (vel profluvio laborans). Illam semper in morbo adesse, alvi autem profluvium postea interdum sequi et critici momenti esse, *Struve* [19]) recte contendit. Quas perturbationes gastricas, saepe leves, *Albers* [20]) habet fortuitas, auctam-

---

15) *Hufeland*, Journ. l. c. p. 52.

16) ibid. 1824. Stk. I. p. 83: *H. Becker:* Merkwürdige und entscheidende Wirkung eines Blasenpflasters. b. d. Phlegmas. alb. dol. pag. 85.

17) l. c. p. 12.

18) *J. d'Outrepont*, Abhandlungen und Beiträge geburtshülflichen Inhalts. Bamberg und Würzburg. 1822. p. 65.

19) l. c. p. 14. Narrat (p. 76) casum, ubi alvus obstructa sex dies permanebat, nec remediis laxantibus validissimis removeri poterat.

20) Hufeland, Journal. 1817. 6. p. 54. Nota.

que bilis secretionem ex dolore pendere putat. In urina turbida et rutila sedimentum largum procidit. [21]) Lochia varia conditione apparent, mox copiosa, mox supressa. Simili modo ex morbo lactis secretio non pendet. Somnus ægrotas plerumque fugit, aut tamen interpellatus est. — Febre vehemente deliria ipsa adsunt exacerbationibus vespertinis. — Plerumque noctu ægrotæ satis multo sudore manant. Febris aucta doloresque diffusi æqualiter et junctis quasi manibus progrediuntur. Rarissime febris asthenica observata est, viresque omnino prostratæ, spiritus et excrementa putrida, pulsus frequens et filiformis, et tendinum subsultus, cet. [22])

Primi hujus stadii tempus varium. Plerumque duas ad quinque dies manet; sunt autem casus, ubi Stad. secundum praeterlapsis jam duodecim horis apparuit [23]); in aliis autem Stad. febrile XIV per dies extendebatur. [24])

§. 5.

Stad. secundum sive tumiferum.

Dolore fastigium nacto, et paululum mitigato, tumor eodem plerumque ordine, quo dolor ortus est,

---

21) In puerperarum aegrotarum urinae aestimatione cautio non mediocris est adhibenda, quum validissimarum ipsarum urina interdum tam turbida, et sedimento tam abundans inveniatur, ut de maximis excretionibus criticis et aegrotis conjectura fieri possit.

22) *Sachtleben* in: *Starks* Archiv. 1789. II. 2. p. 47.

23) *Casper* l. c. p. 62. histor. morb. III[a].

24) *Hufeland*, Journal. 1820. Stk. I. p. 79. *J. W. Gittermann:* Beobachtung einer Phlegmasia alb. cet. — Cfr. histor. nostr.

deorsum, ut solet, ex inguine aut coxa, exsurgit. At interdum fortasse (!) æqualiter totum per membrum oriri videtur (cfr. *Meissner* (in Siebold. Journ.) et Becker ll. cc.). Plus minusve celeriter (una vel duabus diebus, aut ocius) expanditur totum per crus, ad duplex, vel ad triplum sani membri volumen inflatum. Tumor æque diffusus, elasticus, nec rubicundus, sed singulari quodam candore, porcellanico quasi, et saepe speculi instar fulgente, calidus sentitur. Digitus impressus nullas aut minimas tantum et mox evanidas linquit fossiculas. Scalpello infixo nullæ vel paucæ tantum humoris guttulæ efluunt, id quod ex gelata et concreta materiæ effusæ natura nascitur. Tumor dolet, et interdum quidem tam atrociter, ut lecti opertorium ipsum impositum lugubres excitet clamores. [1]) Doloris deminutio multo minus regula videtur esse, ac febris remissio. Hæc autem tumore orto, postquam antea unam tantum vel plures exacerbationes habuit, magnam vehementiæ partem ammittit, magisque in lentam mutatur. Pulsus in XC — C ictus relapsus vespertinis in exacerbationibus solis iterum excitatur, et huc quidem deliria levia nonnunquam accedunt. [2]) Plerumque hanc febrem sudores sequuntur largi, quibus dolor paullulum deminuitur. Observabatur [3]) sudor universus, ipsæque partes affectæ madentes. Alii [4]) autem hoc non vidisse affir-

---

1) *Casper* l. c. histor. morb. III. p. 63. — *Gittermann* Hufel. Journal l. c. p. 82.

2) cfr. histor. nostr.

3) *Casper* l. c. p. 63.

4) *Steffens* l. c. p. 103. *Becker* p. 85.

mant, partesque phlegmasia alba correptas, etsi in sudorem universum corpus immergeretur, nunquam per totum morbum sudorem emisisse. Mire hoc cum miliaria a nobis in partibus sanis tantum observata congruit. Turbationes gastricae quamvis subleventur, urina et alvus eædem. Tumor valde dolens omni membri motu interdicit ægroto. Hunc tumorem propria indole et natura, neque cum œdemate esse confundendum, omnia ea docent, quae posthac de diagnosi scribentes singulatim persequemur. — Interdum non deorsum crescit, sed in sura oriens sursum deorsumque procedit. [5]) Talem affert casum Siebold, [6]) ubi tumor ipsos per menses complures in sura inclusus fuit. Hanc rem White [7]) pernegans, dolorem tamen illo ex loco interdum initium ducere confitetur. Admodum peculiares tumoris certi sunt fines, linea corporis media terminati, labiumque affecti lateris solius pudendum extendentis. Rarius Ligamento Poupartii continetur, quod transgressus plerumque abdominis tegumenta afficit; in antica parte autem Linea alba, in postica processuum spinosorum serie terminatus vel sensim evanescit, vel costarum marginem contingit. — Labio pudendo ejusdem lateris solius affecto magnum pretium statuit, idque signum pathognomicum putat *White.* [8]) Medi-

5) cfr. histor. nostr.

6) l. c. p. 425. Nota.

7) l. c. p. 20.

8) Breviter, quae de hac re p. 19 loquitur, afferam: Das *pathognomische* Zeichen dieser Krankheit ist eine Geschwulst der ganzen *Schaamlefze allein* auf der Seite, auf welcher sich die Krankheit zeigt. — — Es ist wohl zu merken,

cus ille sine dubio natura ipsa certior fuit, tantique ad diagnosin momenti, quamvis insignis sit, res non est, cui *Hull* jam repugnabat. Interdum in altera pede, altera tantum phlegmasia affecta, tumor œdematosus apparet circa malleolos. [9]) *Moore* [10]) tumorem ab initio striis eminentibus et tuberibus modo subflavis, modo purpureis se notasse, postea magis fuisse æqualem, colorem autem non mutasse affirmat. An hæc fuerit Phlegmasia alba, dubito. — Rare maculæ rutilæ in tumore inventæ esse dicuntur, in pustulas interdum transeuntes. [11]) —

---

dass, wenn ein Schenkel allein leidet, die Geschwulst auf die Schaamlefze derselben Seite so genau eingeschränkt ist, dass, wenn man eine Linie vom Nabel bis zum After zöge, die Geschwulst dieselbe *nie* überschreiten würde: dieses pathognomische Zeichen der Geschwulst der Schaamlefze auf derselben Seite fehlt in keinem Falle. — Dieses ist so bestimmt und unabänderlich der Fall, dass man mit Zuversicht sagen kann: So weit sollst du gehen, und nicht weiter." —

9) *Casper* l. c. p. 58.

10) *Moore* in Horns Archiv l. c. p. 203 et 206.

11) cfr. *Hull* — *Siebold* l. c. p. 426 — *Casper* l. c. p. 57: „Circa genu", ait, et pedis articulum maculae rubrae pulicis ictui similes, se ostendebant — — Tempore pomeridiana maculae descriptae tam auctae conjunctaeque erant, ut locos tinctos et diffusos quasi erysipelatosos formarent, qui a tumore albo laevitate speculum aequante vehementer discrepabant." — *Struve* (l. c. p. 46) se veram phlegmonem parvam et circumscriptam semel, et rarissime tantum strias rubentes, aut rubras maculas sparsas observasse dicit. —

§. 6.

Stad. III. *Chronicum sive sequelarum.*

Secundum inter stad. et tertium finis certus statui non potest, altero in alterum subintrante, quamobrem secundi stadii tempus finiri nequit. Sex diebus ad quatuordecim post febris evanida est (vasorum tamen systemate sæpe paullulum adhuc irritato). — Dolor vix adest, et profundior tantum partium tumidarum contactus non admodum vehementem excitat. Tumore, qui fuerat, permanente, ægrota torporem quendam et molem in extremitate rigida et immobili sentit. — Ingredi non potest insistens doloribus affecta; morbus nunc in exitum transit, sequelasque aut relinquit, aut sine üllis optime finitur, quam rem jam tractabimus.

§. 7.

Exitus et Sequelae.

Etsi morbus in primordiis perspicue est acutus,[1]) tamen decursu toto chronicus per menses et annos ipsos permanens est habendus. Sic ægrotis a *Siebold*[2]) observatis V — VI et VII mensibus, ut penitus iis mederetur, opus erat. *Boer*[3]) ægrotam totam

1) Similem opinionem, quem modo legi, affert *Struve* (l. c. p. 28 et 65), qui autem morbum acutis ipsis adnumerat, affirmans se morbum plerumque post dies XI, vel hepdomades quatuor finitam vidisse. Stad. tertium saepe autem multo diutius remanet. —

2) *Siebold.* l. c. p. 437.

3) *L. J. Boër:* Abhandlungen und Verſuche ꝛc. Bd. 1. 2. Aufl. Wien. 1810. p. 132.

per vitam laborantem vidit. *Casperi* [4]) ægrota novem per menses lecto fuit affixa, et fœmina, quam *Westberg* [5]) tractabat, duos fere post annos nondum reconvaluit. — Mortiferne morbus sit, alii aliter opinantur. Hunc exitum nunquam inveniri nonnulli affirmant (Ita *White* et *Sankey* [6]), quibus aliorum observationes repugnant, ut *Zinn*, *Puzos*, *Hull*, *Boër*, *Casper* et *Davis* [7]) et aliorum.

Verisimillimum mihi videtur, si medico tironi opinionem tam audaciter proferre tam imbecillibus nisus argumentis licet, phlegmasiam ipsam letalem non esse, [8]) (suppuratione profusa solum hoc fortasse evenire potest); mortiferam autem eam facile complicatione fieri. — Mortem triplici tempore aggredi dicunt, in morbi fastigio die III, V, VII et nono, [9]) aut in exitu suppuratione aut gangræna et tabe, aut id, quod *Burns* [10]) affirmat, in reconvalescentiæ stadio nimis maturo laboris conatu. —

---

4) l. c. p. 42.

5) *Hufelands Journal.* l. c. p. 8.

6) *Horns Archiv.* l. c. p. 213.

7) *Casper.* l. c. p. 54: Aegrota illa non Phlegmasia, sed putrescentia uteri, qua eodem tempore laboraverat, periit. Quae *Zinn* ille narrat, nihil probant. Aegrota asthmate mortua est. (cfr. *Commentar.* societatis regiae scient. Gotting. II. 1752). — *Davis* (l. c. p. 708) histor. prima suspecta mihi videtur. Tussis affuit, attamen in sectione pectoris cavum non incisum. *Davis* (l. c. p. 715) ægrota secunda pleuritide periisse videtur: *Tertia* autem phlebitide sine ullo dubio consumta est, quae complicatio morbum nostrum plerumque reddit letalem.

8) Quam sententiam a *Struve* quoque probatam videmus.

9) *Casper.* l. c. p. 45.

10) *Davis.* l. c. p. 712.

Felicissimus et optatissimus exitus semper *resolutio* est, plerumque satis tarde procedens. — Symptomatibus criticis tumor evanescit vel cutis, vel renum, vel canalis intestinalis secretione aucta: sudore, urina, vel alvi profluvio. Tumor eadem serie eodemque ordine diminuitur, quo antea ortus est, ab inguine deorsum; interdum et raro quidem ab sura sursum, aut ab genu sursum et deorsum evanescit, iis nempe in casibus, ubi tumor his ex locis inceperat.[11]) Tumor sensim discedens aliquantum emollitur, œdemati, quod ad digitorum sensum, similior. — Haec autem diminutio et mollitia non semper æqualis est, sed interdum nodi et tubera in membro sentiuntur, quae ab *Casper*[12]) et ab aliis pro tumidis glandulis lymphaticis existimabantur, melius ab *Hull*,[13]) *Albers*,[14]) *Meissner*[15]) aliisque inæquali materiæ exsudatæ resorptione explicabantur.

Tum febre et tumore absentibus membrum aliquanto post adhuc rigidum, grave, torpens et invalidum est. Interdum ægroto totam per vitam ingressus claudus et languidus, id quod ex nervo ipso affecto mihi pendere videtur; pes remanet debilis quamque mutationem cœli et tempestatis facile sentiens,[16]) vel

---

11) *Struve* p. 24 et 105.

12) l. c. p. 13.

13) l. c. p. 137.

14) *Hufeland.* Journal 1817. II. p. 17.

15) *Siebold.* Journal. l. c. p. 80.

16) *Siebold.* l. c. p. 437.

maxime ad tumores œdematosos propendens, [17]) vel tabescit et sensim corrugatur. [18])

Aliis in casibus tumor non resolutus permanens fit, ægrotamque ad tumulum usque comitatur. Monstrosissimas partium deformitates invenimus, quorum exemplum *Chevalier* [19]) narrat. De hujus exitus cum aliis morbis nonnullis similitudine post hac scribemus. — Quartus exitus, quo morbus finitur, *suppuratio* est et *abscessus*, quos interdum formari satis multæ observationes omnem extra dubitationem posuerunt. — *White* [20]) quidem negat, nihilominus ipse casum enarrat, in quo suppuratio ipsa faustum in morbum momentum habuisse videtur. [21]) Præterea suppurationem invenimus observatam a: *Siebold*, [22]) *Callissen*, [23]) *Casper*, [24]) *Simmons*, [25]) *Moore*, [26]) *Boër*, [27])

17) *Struve*. l. c. p. 53. Debilitate vasorum lymphaticorum eos explicat.

18) Boër. l. c. p. 133.

19) Medic. surgical Transactions of London. 2. Edition. Lond. 1813. II. p. 63. c. tab. aenea. — Tumor praesertim in pedis tergo tantus fuit, ut super digitos promineret. Tuberculis et pure sanioso perspicue Elephantiasis naturam et formam praebuit.

20) l. c. p. 20.

21) l. c. p. 87.

22) l. c. p. 437.

23) l. c. §. 40. „Interdum, *ait*, œdema puerperarum in abscessum lymphaticum vel lacteum transit; — interdum pustulis *cutaneis copiosissimis* prorumpentibus judicatur.“ — *Meissner* (Siebold. Journal. loc. c. p. 83) bullas vidit crumpere, exsiccatas crustam levem relinquentes.

24) l. c. p. 60.

25) *Horns Archiv*. l. c. p. 184.

26) Ibid. p. 204 et 206.

27) l. c. p. 133.

Struve, [28]) *Malcolm*, [29]) *J. Davies.* [30]) Omnium creberrimi abscessus Psoatici esse videntur et universe exitus in suppurationem non tam rarus, ut fere ab omnibus scriptoribus affirmatur. Si tumor singulo in loco magis inflammatus ruberiorem, calidiorem et majorem se praebet, si dolores valde augentur, organismus totus vehementius affectus febri commovetur, si demum fluctuatio animadvertitur, nobis persuasum esse debet suppurationem adesse. Pure emisso symptomata celeriter mitigantur. Quamvis hic exitus semper adhuc permanente membri tumore esset felicior, reconvalescentia tamen valde diutina, et tabis mortisque ipsius rarissime quidem causa potest esse. Mentionem denique faciamus exitus in Gangrænam, quam non minus certo, quam anteriorem inveniri negat *White*, et qua de re nemo nisi *Boër*, [31]) *Struve* [32]) et *Mann* [33]) loquitur. Aegrotas hic febri hectica consumtas perlisse dicunt. Rarissimum quidem hunc esse exitum constat. —

---

28) l. c. bis observavit suppurationem. p. 17, 19 et 98.

29) *H. Malcolm* in: American medical recorder. Philadelphia. Vol. I. Octobr. cfr. Salzburger Med. chir. Zeitung. 1820. Bd. 4 p. 209. — Suppuratione musculorum pedis tendinibus corrosis aegroto fulcris opus fuit.

30) *J. Davies.* London medical Repository. 1825. Jul. Suppuratio fuit tanta, ut nihil nisi os remaneret, et amputationem institui deberet.

31) l. c. p. 133.

32) l. c. p. 17; quam gangrænam autem non tam phlegmasiae, quam vulneri in partu imputandam existimat, id quod ex morbi historia (p. 87) omnino patet.

33) *Mann* in: New-York Medic. and Physical Journal. Vol. I. p. 1. cfr. Frorieps Notizen. VIII. 1. — Incisione in pedem facta gangræna orta est, et die decimo ægrota obiit.

§. 8.

Morbi sedes.

Sporadicum tantum nostrum morbum invenimus. Fœminis etsi damno, cognitioni certe emolumento esset, si epidemice grassaretur. Jam discutiendum est, an sexus fœminini sit dominium, an viri nos rei tam raræ partem nobis vindicandi habeamus potestatem. — Perlustremus huc pertinentia breviter.

Simmons [1]) Phlegmasiam albam in viro observatam hisce narrat verbis:

„Der Fall betraf einen Mann, bei welchem ich den rechten Testikel wegen Krebs exstirpirt hatte. Nach der Operation ging alles gut, bis die Wunde auf dem Punkt war zu heilen, wo eine spannende Anschwellung des Fufses derselben Seite eintrat, welche sich von der Hüfte bis nach unten erstreckte. Die Krankheit wich in diesem Falle den gewöhnlichen Mitteln.“ —

Hæc descriptio satisfaciens non est, facilisque morbi curatio rem reddit suspectam. *Sankey* [2]) minus adhuc certis verbis rei probandæ dat operam: „Einen ebenfalls sehr deutlich bezeichneten Fall sah ich bei einem 60jährigen Mann.“ —

Accuratior illa est historia a *White* [3]) enarrata, quam breviter repetendam censemus:

„Herr R., ein ungefähr 70jähriger, über zwei Centner schwerer Mann fiel einen Abhang herunter, des-

---

1) *Horns* Archiv. l. c. p. 185.

2) *Horns* Archiv. l. c. p. 213.

3) l. c. p. 91.

sen perpendiculäre Höhe fast 13 Fufs betrug, und an dessen Fufse mehre grofse eckige Steine sich befanden. Er fiel auf seine linke Hüfte. Ich konnte ihn erst den folgenden Tag sehen, und fand sogleich, dafs ein Bruch vorhanden war; bestimmt aber fand er sich nicht in dem Körper des Oberschenkelbeins, dem Halse desselben, oder dem grofsen Rollhügel. Ich sagte daher ohne Zögern, der Bruch befinde sich in dem Becken. Wegen des Umfangs des Beckens und der dazu gekommenen Geschwulst war es schwer durch das Befühlen zu bestimmen, welcher Theil desselben gebrochen sey. —

„Die *erste* und *zweite* Woche fand sich keine gröfsere Geschwulst, als man von der Quetschung der äufseren Theile der Hüften erwarten konnte; aber nach vierzehn Tagen entstand plötzlich eine Geschwulst in dem oberen Theile des Oberschenkels und der *linken Seite* des Hodensacks; sie dehnte sich abwärts über den Ober- und Unterschenkel und den Fufs aus; die Spannung der Haut war äusserst stark, die Geschwulst nicht kalt; es blieben auch keine Gruben in derselben nach dem Drucke, wie bei Leukophlegmatia, sondern sie war warm, hart, gespannt, glänzend, von blafs-weifser Farbe und sehr schmerzhaft. Man bemerkte keine rothen Streifen längs dem Laufe der Saugadern, noch eine Geschwulst oder Entzündung der Drüsen. Diese Geschwulst dauerte einige Wochen, während welcher Zeit der Kranke das Bett hüten mufste. Ich mufs noch anführen, dafs weder der Hoden, noch der Hodensack der rechten Seite im geringsten angeschwollen war. Zuerst verlor sich die Geschwulst

an dem obereu Theile des Oberschenkels und des Hodensacks.“

Præterea phlegmasias albas in viris observatas et narratas, quas equidem inveni, enumerabo: *Struve* (l. c. p. 33, 34, 35), duos vult observasse casus, utrumque in viro valde obeso. Historia, quam (p. 93) narrat, non extra omnem dubitationem est, morbo sine febri incipiente, ægroto longum jam tempus dyspnöa (fortasse vitio cordis) laborante. —

Phlegmasiam alb. post typhum ortam vide in: *Transactions of the physico-medical society of New-York.* 1817. I. by Dr. G. *Purdy.* cfr. Salzburger med. chirurg. Zeitung. 1817. IV. —

Alius casus invenitur *ibidem.* Vol. II. No. 2. 1821. cfr. Med. chir. Zeitung. 1824. III. 98. Hic malum post contusionem vehementem et vulnus cruris ortum est.

Alios vide in:

Medico-chirurgical Transact. by the med. and chirurg. Society of London. Vol. XV. p. 2. 1830. *by Copland Hutchinson:* cfr. Salzburger Zeitung. 1831. I. S. 84.

Philadelphia Journ. of med. and physic. sciences by N. Chapman. Vol. II. No. 2. by H. Bord.

London medic. Repository. Jul. 1825. by D. Davis.

In: *New-York* medical and physical Journal. Vol. 1. p. 1. cfr. Froriep's Notizen. VIII. 1. J. W. *Francis* bis observavit, alteram in juveni, alteram in sene. Dr. *Heermans* (ibidem) in juveni Rheumatismis laborante. Tumor in superiore quoque extremitate apparuit. — Dr. *Hosack* (ibidem) narrat casum non admodum certum. Aegrotus suppuratione profusa obiit.

Observationes hae plus minusve certo, morbum

apud mares inveniri probant, et quamvis casuum illorum nonnulli fortasse phlegmasiæ albæ adnumerandi non sint; alios tamen ægrotos morbo nostro affectos esse negari non potest. Phlegmasia alba interdum gravidas invehi mulieres, casus ab *Evans* [4]) narratus probat. Idem et *Simmons* et *Sankey* [5]) contendunt. Morbus etiam in mulieribus nec gravidis nec puerperis invenitur et in puellis. Ejusmodi exempla affert *Struve*, qui malum illud in puella sedecim annorum observabat, cui menstruatio terrore erat suppressa.[6]) Porro phlegmasiam albam mulieris describit, quae quindecim mensibus ante [7]) partum edidit, aliamque foeminae jam diu non gravidae.[8]) Dr. *Bell* [9]) mulieris, quae septedecim annis ante pepererat, et tum saepe affectibus cruciabatur rheumaticis, phlegmasiam albam narrat.

Persuasum autem nobis esse potest, eam in puerperis cujusque ordinis, aetatis, corporisque constitutionis inveniri. Nec peculiare quoddam negotium corpus pronum ad morbum nostrum reddere videtur, neque anni tempus quoddam. Aeque et in primiparis

---

4) *Dunkans*, medical commentaries. X. p. 302. qui morbus abortu finiebatur.

5) *Horns* Archiv. l. c. p. 183 et 213.

6) *Struve*. l. c. p. 91, histor. II, quæ omnibus symptomatibus se pro phlegmasia præbet.

7) Ibid. p. 33.

8) — p. 34. (num hæc phlegmasia fuerit, adhuc dubito.)

9) New-York, medical and Physical Journal. I. 184. (cfr. Froriepŝ Notizen. VIII. 1.) Ad ea, quæ de diagnosi dicemus, delego; illic enim nonnulla huc spectantia addam.

et in multiparis se nobis offert, [10]) et interdum abortu ipso facto. [11]) *Sankey* [12]) tamen mulieres infirmas saepius, quam validas et robustas ab ea invehi contendit. Immunitatem aliorum morborum phlegmasia nostra oriri, vel alios morbos ab ea tueri hucusque non est notum, et in eo quod *Sankey* [13]) affirmat, morbum semel tantum membrum idem invehere, omnes adhuc non conveniunt. [14]) —

Puerperas morbo illo correptas videmus diversissimos post partus, post faciles et difficiles, et natura et artis ope editos. Satis frequenter eum invenimus post haemorrhagias, sic *Wyer* [15]) eum semel post haemorrhoidale sanguinis profluvium, et Dr. *Handy* [16]) post metrorrhagiam quinquaginta trium dierum obser-

---

10) Frequentiorem plane morbum in multiparis, quam in primiparis videmus (33: 7. *Struve*. p. 32). Majorem autem hanc ob rem indolem multipararum statuens, clar. ille vir sine dubio fallitur. Multipararum numerus necessario major est, quam primipararum, et ex ratione illa arithmetica (33: 7) æqualis potius indoles est statuenda.

11) *Casper*. l. c. p. 52. Morbus post partum præmaturum $5\frac{1}{2}$ mensium apparuit. — *Struve*. l. c. p. 11. post abortum trimestrem. — *Dugès*: Revue médicale. Août. 1824. cfr. Frorieps Notizen. VIII. 13. Phlegmas. post abortum sex mensium.

12) *Horns* Archiv. l. c. 213.

13) *Horns* Archiv. l. c. 213.; cui *White* (l. c. p. 20) assentitur.

14) *Trye* eos oppugnat et *Maeneveu* (Frorieps Notizen. VIII. 1.) vel quater in crure dextro ejusdem mulieris in quatuor puerperiis sequentibus (variis autem in locis) phlegmasiam observasse vult.

15) *Hufelands* Journal. l. c. 51.

16) Frorieps Notizen. VIII. 1.

vavit; qui autem affectus nullius momenti fuisse videntur aetiologici.

Non possumus, quin breviter inserentes casum referamus a *Carlander* observatum [17]) et, quum paulatim temporeque procedente erumperet, memoria dignum. Mulier satis infirma XXIV annos nata in prima graviditate anno 1800 nonnullos tantum dolores transeuntes in regione hypochondriaca dextra percepit. Partus atque puerperium optime se habuerunt. Anno 1802. validum puerum peperit. Omnia optime. 1803. Partus tertius; puer. Dolor in regione hypochondriaca; dolor, torpor et tumor oedematosus (?) in sura sinistra. 1805. Graviditas quarta et partus sine molestiis. 1808. Puerum edidit validissimum. Febris; dolor et tumor in cruribus. Anno 1809 tandem gemellos peperit, et tum phlegmasia alba in utraque extremitate inferiore erupit. Similes casus observavit *Struve* [18]). — Postquam de singulis hominibus, in quibus inveniatur morbus, locuti sumus, nobis adhuc reliquum est ut de mali sede ipsa nonnulla referamus. Primum quaeritur, morbusne et in extremitatibus superioribus inveniatur, cui opinioni assentiunt *Simmons*, [19]) *Callissen*, [20]) *Siebold* [21]) et *Casper*. [22]) Illi satis incertis utuntur verbis nullo modo rem accurate describentes, et quem hic affert casum, nihil nisi affectus rheumaticus fuit brachii, et nullus ap-

17) *Hufelands* Journal. 1817. II. p. 9.
18) l. c. p. 31.
19) *Horns* Archiv. l. c. 185.
20) l. c. §. 36.
21) l. c. p. 421.
22) l. c. p. 57.

paruit tumor. *Meissner* [23]) phlegmasia alba pedem, abdomen, pectus et brachium dextrum affecta esse narrat. Quamvis morbum in extremitatibus superioribus inveniri negare nequeamus, haec tamen conditio rarissima aestimetur necesse est.

Plerumque unum tantum crus morbo corripitur, attamen etiam in utroque observatur, quod quidem ea evenit ratione, ut alterum membrum dolere incipiat, altero morbi jam fastigium vel decrementum nacto. *Gittermann* [24]) casum, ubi altera pes penitus fere sana erat, quum altera aegrotare coepisset, narrat. *Meissner* alterum femur, altero quinque hebdomades jam sanato, morbo vidit corripi. *Struve* [25]) quatuor ejusmodi casus se observasse dicit. *Casper* bis, *Westberg* aliique et nos hoc vidimus. *White* [26]) decem ex phlegmasiis unam tantum in ambabus inveniri extremitatibus affirmat; *Sankey* [27]) contra plerumque hoc modo observabat morbum. Morbus alteram extremitatem invehens hic quoque febre, dolore, eadem denique symptomatum serie apparet, quibus antea. Ambas extremitates simul affectas invenire non potuimus. Interdum in puerperiis sequentibus crus adhuc liberum morbo affici affirmatur.

Callissen [28]) phlegmasiae sedem saepius in crure dextro, quam in sinistro esse contendit, et *White*,

---

23) *Siebolds* Journal. l. c. p. 82.

24) *Hufelands* Journal. l. c. p. 81.

25) l. c. p. 26, 90, 107.

26) l. c. p. 19.

27) l. c. p. 213.

28) l. c. p. 36.

morbum plerumque eo in latere ori, cui incumbentes (*sinistrae*) mulieres partum ederent; cui rei ejus ipsius historiae repugnant. Extremum illud est, ut mentionem faciamus phlegmasiam albam cum valde variis complicatam inventam esse morbis: cum Phlebitide, febri puerperali, Metritide, Putrescentia uteri, Pleuritide, Cystitide, Agalactia, et cum lochiis suppressis. —

§. 9.

Cadaverum dissectiones.

Quod scriptores plurimi in iis rebus describendis, quas cadaverum dissectione invenerint, sua tantum sententia aetiologica ducti, ea omnia accurate ac diligenter narrant, quae documentum quoddam huic queunt afferre, quum cetera omnia paucis stringant verbis, probari sane non potest. Optimam dissectionis narrationem habemus a *Caspero*. [1]) Aegrota putrescentia uteri perierat. Praeter uterum etiam jecur valde aegre se habuit. De partibus phlegmasia alba affectis his refertur verbis:

„Crurum cute perscissa, tela mucosa visa est paullo laxior (aufgelockert) ubique liquido subfusco, odore carente impleta; glandulae inguinales sanguine solito abundantiores, et tumidiores reperiebantur. Musculi flaccidissimi erant et in crure, et in aliis partibus. Percaute reteximus vasa magna sanguifera, omnino vero sana visa sunt, et in externa et in interna superficie. Eodem modo nervi crurales, ischia-

1) l. c. p. 54.

dici cet. denudati sunt: ne minimum quidem extra morem erant, nec tumidi, nec rubefacti. Memorabile tamen est, conditionem morbosam telae cellulosae non in solis cruribus, sed etiam per totam pelvim usque ad musc. Psoas. Iliac. intern, visam esse.“ — Praeterea quatuor dissectionum habemus narrationes *Davis* illius. Omnibus in casibus majora minorave venae Iliacae communis, externae, vel profundae femoris, vel venae cavae ascendentis ipsius inflammationis vestigia invenit. Similia tradunt *Lee* et *Valpeau* (de quibus conf. §. de Actiologia). — Aliam narrationem nobiscum communicavit *Zinn* [2]); hic autem nihil refert nisi glandulas inguinales fuisse induratas et tumidas, et in venam cruralem aliquantum impressisse. —

Hesselbach [3]) nobis narrationem tradit maximi momenti. — De puella XXX annorum disputatio est, quae ante aliquot annos partum ediderat, et octo ex mensibus magno sinistrae extremitatis inferioris tumore erat implicita. Symptomatibus quaedam quamvis desint Phlegmasiae propria, diagnosis tamen tumoris finibus, diuturnitate, et magnitudine probatur. Autor ille narrat:

„Beim Einschneiden in die Untergliedmafsen flofs eine grofse Menge Wasser aus; ja selbst in den Gelenkhöhlen fanden wir viel Wasser angehäuft. Die Schenkelbinde mit ihren Fortsätzen war über zwei Pariser Linien dick und lederartig; an den Saug- und

---

2) *Götting. Comment.* 1753. Vol. II.

3) *A. K. Hesselbach:* Medicinisch-chirurgische Beobachtungen und Erfahrungen. I. B. H. 2. Bamberg. 1833. p. 38.

Blutadern war nicht die geringste krankhafte Veränderung zu finden. — In der Bauchhöhle war wenig Wasser; die Leber vergrößert, tuberculos, ebenso die Nieren, die mesenterischen Drüsen, der Uterus degenerirt. In diesem Falle bewies die Leichenöffnung unwiderlegbar, daſs der ursprüngliche Sitz in der Schenkelbinde und deren Fortsätzen war.“

An potius morbi causa in viscerum abdominis et pelvis malis quaeri debet, et oedema ex iis manavit? Num fascia cruralis spissata extensione orta est? — Mihi quidem *Hesselbachii* sententia multo probabilior videtur. —

§. 10.

Aetiologia.

a) *Causae remotae.*

Quantopere in incerto simus de morbi nostri *causa praedisponente*, satis jam ex iis, quae in §. 8 tradita sunt, patet. *Carus* [1]) dicit causas disponentes plerumque in prioribus malis glandularum, venarnm aut in morbo arthritico esse, aut in degenerationibus organicis. Hoc experientia non confirmatur. Varicibus et oedemate pedum in graviditate foeminas ad morbum proclives fieri, alii tradunt. Hoc certe constat, quamvis morbus interdum in maribus et in foeminis extra puerperium inveniatur, partum praecipue pro causa praedisponente esse habendum. Totidem, nec plura circiter, *de causa occasionali* scimus. Morbum neque ex difficultatibus in partu, neque ex haemorrha-

1) C. G. Carus, Lehrbuch der Gynäkologie. Leipzig. 1828. 2. Thl. p. 538.

giis, neque e lactationis, aut lochiorum vitiis pendere jam monuimus. Certo autem perfrictio magni momenti in morbo oriente est, [2]) id quod eo probabilius fit, quod partus tantopere foeminas hujusmodi incommodis committit, et quod mulier in tam universa virium physicarum excitatione ad refrigerationem fit admodum prona. Eam solam esse causam contendere nolumus, addendum autem nobis videtur, quoties et quam facile talia momenta praetermittantur, et quantopere observationes nonnullae perfrictionum causalium fidem faciant. [3]) Attamen et jure quidem interrogabimur, cur, quae quum ita sint, morbus tam rarus inveniatur. Nescimus. Commodius sane est, quam hoc confiteri, morbi seminio quodam, se vallo quasi munire, id quod *Siebold* fecit. Animi quoque perturbationes huc adnumeratae sunt. [4]) An haec sententia repugnanda sit, dubito. Cujusnam mulieris parturientis animus non maxime commovetur?

b) *Causa proxima.*

Incertam jam et mancam rem in universa pathologia et praecipue hoc in morbo tangimus. Magna morbi raritate et disectionum majore adhuc perpensa certae sententiae spem praecipere non possumus; sin autem medicorum opiniones hac de re tam diversas perlustravimus, incertiores adhuc sumus; vix enim humanarum extremitatum inferiorum pars est, in qua

---

2) *Struve* quoque (l. c. p. 37) sæpius refrigerationem et subitam transpirationis supressionem causam putat occasionalem.

3) *Steffens.* l. c. p. 97. — *Gittermann.* l. c. p. 81. — *Siebold.* — *Becker.* l. c. p. 91. — *Struve.* l. c. p. 90.

4) *Struve.* p. 37.

studium litterarum incitatum Phlegmasiae albae causam proximam non quaesiverit.

Primo varias aliorum sententias breviter et quam integerrime enarratas aestimare conabimur, et dein nostram opinionem exponemus, eamque defendemus.

Optime scriptorum de Phlegmasia alba sententiae in sex dividi possunt ordines. Antea autem *Simmons* illius astuti [5]) mentio facienda est, qui homöopathica verborum certitudine utens morbum pro specie inflammationis quadam habet (für eine Art Entzündung).

I) Morbi natura in *lactis et lochiorum* metastasi quaesita est. Haec priscorum Francogallorum est sententia; quam enim ad rem tum omnes fere puerperarum morbi referebantur. Hanc sequentes opinionem nominandi sunt: *Puzos*, [6]) *Levret*, [7]) *Mesnard*, [8]) *Mauriceau* [9]) et *Callissen.* [10]) Facile revinci possunt: nam natura ipsa hypothesin illam falsam docet, et quum multis in ejusmodi aegrotis lochiorum et lactis secretio omnino non sit turbata, [11]) et quum aliis in puerperis, quibus secretiones illae suppressae

---

5) *Horns* Archiv. l. c. p. 188.

6) *Puzos*, Traité des accouchemens. édit. p. Morizot Deslandes. Par. 1759. — *Koch.* Sammlung auserl. Abhandl. B. I.

7) *Levret*, L'art des accouchemens. Par. 1756. — *Koch. l. c.*

8) *Mesnard*, Guide des accoucheurs. Par. 1748.

9) *Mauriceau.* l. c. p. 446.

10) *Callissen.* l. c. §. 38. brevi autem post, causam interdum in lympha consistente et in resorptione impedita esse positam, dicit.

11) cfr. l. c. *Westberg*, *Wyer*, *Struve* (p. 87 et 101) et histor. nostr. et alias.

sint, Phlegmasia alba non oriatur. Praeterea sententia illa in Phlegmasia alba gravidarum et virorum nos reliuquit; et natura morbi ipsa hac hypothesi non valde in luce collocatur.

II) Scriptorum numerus multo major morbi indolem in malo systematis lymphatici vidit quodam, qui viri docti in tres dividi possunt ordines.

a) *Multi vasorum et glandularum lymphaticarum inflammationem utramque simul vel alteram tantum supponunt.* Quamvis viros maxima auctoritate et judicii gravitate, huic assentatos sententiae, nominare debeamus, attamen contradicere coacti sumus. *Trye* [12]) inflammatis et tumidis glandulis inguinalibus et externis et internis vasa lymphatica comprimi, et hac re lympham consistere, et tumorem effici putat; id quod interdum quoque inflammatione et obstructione vasorum lymphaticorum ipsorum oriri posse. — Eandem omnino opinionem, eamque novam perhibens, recentiore aetate adtulit *Huston.* [13]) Morbum inflammatione glandularum lymphaticarum usque ad ductum thoracicum oriri, qua re accumulationem lymphae (engorgement) effici dicit. Inflammationi ipsi causam praeberi putat: capitis infantis pressione, aëris et vestimentorum humoribus in puerperio, et absorptione demum materiae cujusdam acris. Similiter jam *Denman* judicavit, inflammationem glandularum lym-

12) *Charles Brandon Trye:* An Essay on the swelling of the lower extremities, incident to lying-in women. Lond. 1792. 8.

13) The American medic. and surgical Journal by Hugh L. Hodge. cfr. Salzburger Mediz. chirurg. Zeitung. 1830. II. 152.

phaticarum ab acrimoniae cujusdam in utero secretae absorptione repetens. Lochia autem fere semper omni commutatione carent aegrota. *Ferriar* [14]) vasorum absorbentium inflammationem, et absorptionem hac re suppressam, lymphaeque accumulationem ponit. Inflammationi vasorum lymphaticorum, quae in pelvi sita sunt, *Westberg* [15]) suffragatur; et *Hufeland* [16]) quoque inflammationi vasorum absorbentium et glandularum, indeque effusioni ortae, quam ad sententiam *Hampe* quoque [17]) pronus videtur. *Lodemann*, [18]) *Carus* [19]) et *Casper* [20]) pariter. *Struve* [21]) contendit, datque operam demonstrandi:

1) Causam proximam Phlegmasiae albae in inflammatione systematis vasorum lymphaticorum (vasorum

---

14) Medical histories and reflexions. Lond. 1798. III. p. 100. Samml. auserlesener Abhandlungen. Bd. XIX.

15) *Hufelands* Journal. l. c. p. 4.

16) Ibidem vid. Notam.

17) Ibidem p. 8.

18) *Hufelands* Journal. X. p. 98.

19) l. c. p. 538.

20) *Casper*. l. c. p. 33 et seq. Infra autem addit: „Morbus inflammatione systematis absorbentium, in nonnullis casibus fortasse simul etiam *telae cellulosae* formatus videtur.

21) l. c. p. 43 — 63. Dubia autem ejus fit opinio, *Trye* illius sententiae simillima, quum infra exponat fieri posse, ut irritati arteriarúm fines subtiles exhalatione ad tumorem conferantur aliquid. Pag. 63 autem dicit: „Est igitur fortasse causa hujus mali proxima in inflammatione tum vasorum lymphaticorum, tum ramulorum *venarum*, et truncorum ipsorum quærenda."

et glandularum) et quidem profundius jacentium consistere.

2) Dispositionem aliquam huic inflammationi occasionem praebere; eamque dispositionem consistere in irritatione hujus systematis lymphatici, vel sine, vel cum debilitato ejus vigore, quae plerumque per gravididatem et insequentem partus actum praeparetur, quae autem extra puerperium quoque inveniri, et *inflammatoria* nominari possit. Inflammationem plerumque a lymphaticorum vasorum plexu lumbari vel sacrali exire dicit; tumorem exsudatione non effici, non tam pro symptomate, quam pro sequela habendum, et accumulatione lymphae, quam vasa vehementer inflammata resorbere non possent, esse ortum.

Similem sequitur sententiam G. *Purdy.* [22])

Haec autem omnia facile et firme morbi ipsius observatione refelli opinor. Ubi enim inflammati vasis lymphatici vestigium? Ubi striae flammarum instar rubrae? Ubi funiculi duri? Ubi tumidae glandulae, calidae et durae? Exiles illae hujusmodi observationes, quas *Hull*, *Wyer*, *Moore* et *Struve* narrant, certo fuerunt affectiones vasorum lymphaticorum secundariae. Dolor illa in inflammatione magis obtusus, nec tam vehemens est. Plerumque in resolutionem, neque in effusionem, raro tantum in suppurationem transit. Contraria autem in nostro invenimus morbo. Interrogandum tandem videtur, num aliis vasorum illorum inflammationibus vel bubonibus morbum videamus oriri

22) Transact. of the physico-medical society of New-York. 1817. Vol. I. — cfr. Medic. chirurg. Zeitung. 1819. III. pag. 78.

Phlegmasiae similem; et cur non post aneurysmatis poplitei operationem appareat?

b) Opinionioni *Trye* illius, quae *White* et *Moore* protulerunt, adjungi possunt. Ille satis ingeniosam theoriam mechanicam excogitavit. Verba ejus [23]) breviter repetam:

„Wenn der Rand an der oberen Öffnung des Beckens eine hervorragende Linie an dem Schaambeine bildet, die so scharf als ein elfenbeinernes Falzbein, oder ein Tischmesser, und wie eine Säge gezähnt ist, dann gegen diese die geschwängerte Gebärmutter durch die heftigen Wehen die Saugadern prefst, so müssen diejenigen, welche über denselben hinlaufen, um sich in das Becken zu senken, zerschnitten werden, oder zerreifsen, und das Enthaltene sich ergiefsen. In einigen Fällen wird die ausgetretene Lymphe sogleich von den benachbarten Saugadern aufgenommen werden; in andern wird sie gerinnen, sich anhäufen, und einige Tage, ehe die Geschwulst entsteht, durch Abtrennung des Bauchfells von den Theilen, mit welchen es zusammenhängt, *Schmerzen erregen*, und endlich wird sie eingesogen werden. In einigen wenigen Fällen, wo dieſs nicht geschieht, wird sie einen Abscefs verursachen. Die Mündungen der zerrissenen Saugadern schliefsen sich gewöhnlich in einem Zeitraum von 24 Stunden bis 6 *Wochen*, und letztere füllen sich mit Lymphe an, welche in denselben aufgehalten, in denjenigen Saugadern aber, welche nicht zerrissen sind, besonders den tiefliegenden, welche die Hüftschlagader begleiten, fortfliefsen wird. —

---

23) l. c. p. 95.

„Durch den verhinderten Durchgang der Lymphe schwellen die Weichen, die Schaamlefze, der obere Theil des Oberschenkels; die Geschwulst dehnt sich allmählig gegen den Unterschenkel und Fufs aus.

„Der Schmerz wird durch die grofse und plötzliche Ausdehnung der Saugadern verursacht; die weifse Farbe durch die Anfüllung der Theile mit Lymphe, wodurch die Blutgefäfse sehr gedrückt werden, dafs man weder Schlagadern noch Venen äufserlich bemerkt. Die Spannung, Elastizität, Härte, der Glanz hängen von der grofsen Ausdehnung der Saugadern ab, welche nicht leicht nachgeben; die Gleichförmigkeit der Geschwulst von der Ausdehnung der Saugadern der Haut, welche unzählig sind.

„Die lymphatischen Drüsen werden bisweilen schmerzhaft und schwellen, welches davon herrührt, dafs die zuführenden Gefäfse häufiger dieselbe bringen, als sie durch die ausführenden Gefäfse weggeführt werden kann.

„Wenn man in die Haut mit der Lanzette einen Einstich macht, so fliefst die Lymphe nicht wie bei der Hautwassersucht heraus, wo sie dünn, und in den Zellen des Zellgewebes, welche durch den ganzen Körper zusammenhängen, enthalten ist. In dieser Krankheit verletzt man nicht den Stamm der Saugadern, sondern nur die kleinsten Zweige der Hautsaugadern. Die heftigen Schmerzen und die Ausdehnung hält nur wenige Tage an, die anastomosirenden Saugadern werden bald erweitert und führen nach und nach die stockende Lymphe fort; es dauert aber mehre Wochen, bis der Weg vollkommen frei ist.“ —

Contra hanc conjecturam etsi ingeniosam, attamen coactam multae surgunt rationes. Primo quaerendum est: Cur morbus tam sero oritur, quum morbi initium a partu sit repetendum? An vasa lymphatica re vera sex post hebdomades ad cicatrices perveniant? Et hoc quoque posito quasnam mutationes sex per hebdomades lympha in pelvim efusa conficere debet, quae quum die una vel duabus post circulationem impeditam membrum totum ad ambitum tam ingentem possit extendere? Quomodo hypothesi illa morbus in extremitatibus superioribus, vel post abortum ortus et ipsis in viris explicatur? Cur post facillimos quoque partus eum invenimus? et cur non frequentius post partus pelvis angustia difficiles observatur? Quomodo explicari potest, mulieres (quod *White* p. 77 ipse narrat) septies, vel ut *Casper* tradit, decies quater peperisse, nullo Phlegmasiae albae symptomate apparente; et quomodo tum repente malum illud oriri potuit? Quomodo fit, ut semper altera pes prius, quam altera, corripiatur? Cur non oedema, vel varicositas vasorum lymphaticorum [24]) oritur? Nulla, vasa tam numerosa esse, tamque multas habere anastomoses *White* ipse profitetur, et tamen tam magnam et pertinacem humoris accumulationem exigua tantum eorum parte invia oriri vult. — Et tandem quaero, cur mor-

24) Hanc observavit *Soemmering*, compressione et obstructione vasorum ortam. Cfr: De morbis vasorum absorbentium. Trajecti ad Moenum. 1795. p. 44. §. 22. Praeterea conferantur, quae *Hopfengärtner* (Hufelands Journal, 1817. VI. p. 40) de ductu thoracico clauso narrat, num hic et alii ejusmodi casus Phlegmasiae albae simile quid habuerint. —

bum non operationibus ortum videamus, quibus saepius tam magna vasorum lymphaticorum copia clandatur. His autem ruptis omnino alii morbi existunt.[25]) Sententiam magis adhuc commenticiam *Moore*[26]) profert. Musculos abdominales cum vasibus in graviditate relaxatos partu edito valide contrahi. Si hoc velocius fiat, vel si plethora aut torpor vasorum lymphaticorum adsit, lympham consistere et accumulari, qua re et inflammatio ipsa oriri possit. Hoc opinionis monstrum magis commentum videtur, quam quod refutatione opus sit; hanc enim secundum conjecturam Phlegmasia post paracenthesim quamque in ascita oriri debet, et in foeminis gravidis et in maribus inveniri nequit.

c) Tertium ordinem ii formant autores, qui morbi naturam a lymphae in partibus affectis accumulatione petunt, causa haud locali, sed plethora lymphatica universali orta. *Siebold*[27]) pravam lymphae accumulationem ponit inclinantem ad inflammationem, quae in nervo crurali et Ischiadico et in fascia lata appareat. Tumorem illum criticam in tela cellulosa esse efusionem. Ejus opinio non perspicua et contorta videtur, quamvis ex nostra sententia vero satis proxima sit. Vasorum lymphaticorum systema ad inflammationem inclinare, attamen in tumicis fibrosis hanc apparere contendit. Inveniuntur aegrotae, quae nullo modo succido illo sunt corporis vigore, quem Siebold observabat. Minus adhuc certum, quod *Berends*[28]) protulit,

25) *Horn*, *Nasse* und *Henke*: Archiv. Bd. I. 1817. S. 377.
26) l. c. p. 208.
27) l. c. p. 432 — 436.
28) C. A. W. Berends: Vorlesungen über praktische Arzneiwis-

morbi causam proximam quaerens in lymphatici humoris accumulatione, ad inflammationem inclinante et ex diathesi peculiari originem habente.

III) Haud exiguus asseclarum numerus sententiam probat, quam *Davis* [29]) protulit. Hic enim morbi naturam inflammatione primarii venarum trunci unius vel complurium in pelvi ipsa sitorum vel vicinorum evolvendam putat, qua inflammatione venarum tunicae conspissentur, membranae formentur spuriae, contenta consistant et ipsa earum tela suppuret. Hoc modo circulationem impediri. Inflammationem ipsam venarum compressione, vel dispositione quadam inflammatoria e graviditate vel partu orta effici. Venarum obliteratione, quod idem membrum semel tantum invehatur, explicari. Praecipue iis, quae in sectionibus invenerit, nititur. Attamen leviter ac minus accurate rem attingit, ea, quae sententiae suae apta videntur, urgens, cetera autem negligens. Incertiores adhuc ejus morbi sunt historiae, ut dubium relinquatur, num nisi in casu primo, qui accurate descriptus inter alios phlebitidis quoque symptomatibus notatur, Phlegmasia alba adfuerit.

Contra ejus opinionem complures repugnant rationes. Morbus saepe longe post partum erumpit, quae res eodem modo huic, quo *Whyte* illius sententiae, obstat. Multo saepius varices ex morbo nostro manare debebant. Vehemens ille dolor per totam extremitatem diffusus opinione illa omnino non ex-

---

senschaft. Herausgegeben von K. Sundelin. Berlin. 1829. Bd. VI. Abthl. 2. p. 439.

29) l. c. p. 706.

plicatur, qua necessitate coactus *Davis* ad circulationem venarum collateralem doloribus orientem confugit. Quaeritur tandem, num morbi symptomata cum phlebitidis illis congruant, an similia phlebitidem interdum comitentur symptomata? In Phlegmasia autem alba nullos sentimus venarum funes duros et inflammatos; nullum videmus pseudoerysipelas, in phlebitide tam solitum. Oedematosum quidem tumorem interdum in phlebitide, neutiquam autem effusionem Phlegmasiae albae illam gelatam invenimus. *) Febris in phlebitide algore vehementi incipit, et morbus magna animi depressione notatur; lingua fusca et arida. Phlegmasiae typhosa phlebitidis natura deest. Re diligenter perpensa, considerandum quoque est, quamquam cadaverum Phlegmasia alba confectorum desectiones interdum phlebitidis symptomata ostendant, alias tamen ne vestigium quidem offerre. Qua re concludendum tantum videtur, venarum inflammationem non tam raram esse, quam periculosam morbi *complicationem*. [30])

Similia *Bouillaud* [31]) pluribus in casibus invenit.

Sententiae *Davisii* illi *Robert Lee* [32]) quoque consentiens phlebitidem pro morbi causa habet. Quam

---

*) Cfr. *Dance* u. *Arnott.* cct. l. c. morbi histor. XXI. p. 94.

30) Eodem modo *Meissner* judicat (cfr. §. 2. l. c. p. 271), quae sententia eo fit verisimilior, quo saepius phlebitis in venis cruralibus post partum inveniatur, sine Phlegmasiae albae vestigio quodam.

31) Journal de physiologie. 1813. Janvier.

32) Medic. chirurg. Transact. published by the med. and chirg. society of London. XV. p. I. 1829. ibidem. p. II. 1830. — cfr. Salzburger Medic. chir. Zeitung. 1830. IV. p. 167. 1831. I. p. 84.

antem inflammationem ab uteri venis proficisci; et phlebitidem uterinam in Venam hypogastricam, iliacam et femoralem transire, et tum solum, quum hos nacta sit truncos, Phlegmasiam apparere albam. Phlebitidem uterinam uteri in partu vulneratione, distractione placentae adhaerentis violenta, et retentae putrescentia, frigore, et contagio denique quodam oriri. Plures profert casus et tres narrat desectiones, quarum prima autem opinio ejus non solum non firmatur, sed etiam refutatur, quum phlebitidem ipsam post Phlegmasiam albam ortam admodum perspicue videamus. Fortasse *Dance* *) quoque eadem ducitur opinione; leviter autem rem tangit, et historias nullas sententiam illam affirmantes narrat, quamvis undecim phlebitidis uterinae exempla afferat. Nec magis opinio *Arnott* illius observationibus comprobari potest. Tumor, qui in phlebitide interdum inveniebatur, semper fere pure ortus est. **) — Clar. *Carus*, [33]) intercessor quasi inter autores lymphaticos et venosos, morbi causam in utriusque vasorum generis inflammationem esse ponendam putat, addit tamen vario modo morbum oriri, et fortasse una voce morbos diversos appellatos esse.

IV) Quarto in ordine medicos tangimus, qui *nervis aegrotis* morbi symptomata effici censent. *Albers* [34])

---

*) *Dance* und *Arnott:* über Venenentzündung und deren Folgen, übersetzt von G. Himly. Jena. 1830.

**) Ibidem. p. 77. et 219. Notâ 1. cet.

33) l. c. p. 538.

34) *Hufelands Journal.* 1817. II. p. 16. Albers autem ipsum errorem intellexisse, et hanc ob causam monographiam non edidisse, contendit *Struve* (l. c. p. 60).

opinionem suam obiter tantum promulgavit, et prius, proh dolor, defunctus est, quam qui opinionem suam fusius exponere potuisset. Morbum e primaria nervorum affectione, eaque non inflammatoria manare, quam secundarium telae cellulosae malum insequatur, censet. Accuratam singularum rerum narrationem non tradit; neque cujusmodi haec nervorum affectio sit demonstrat, ut refelli nequeat, et nihil afferre possimus, nisi nos talem nervorum et telae cellulosae vicissitudinem cogitatione nobis fingere non posse. Scelalgiam sive Ischiadem puerperarum et Phlegmasiam albam eundem esse morbum opinari ferme nobis videtur; cui sententiae *Jörg* [35]) quoque deditus est. Scelalgiae autem plerumque causam esse rheumaticam censet. Etiam *Boër* morbos illos non discernit. *Dugès* [36]) nervorum inflammationem pro morbi causa proxima habet. Quatuor nevritidis puerperarum genera statuit: N. circumscriptam; N. oedematosam; N. phlegmonosam; et N. oedemato-phlegmonosam, cui Phlegmasiam subjicit albam. Morbi naturam in inflammationem Nervi cruralis esse ponendam, tumorem autem manare ex inflammatione in telam cellulosam diffusa.

V) *Hull* et *Steffens* morbo malum telae cellulosae idiopathicum supponunt. Ille Phlegmasiae albae causam proximam inflammatoria in affectione versari, repente magnam seri et lymphae coagulabilis effusionem proferrente putat. Inflammationis sedem in

35) l. c. p. 898.

36) Revue médicale française et étrangère. 1824. Août: Mémoire sur la névrite puerpérale. — cfr. Froriep: Notizen. VIII. 15.

musculis, in tela cellulosa et in facie interiore cutis esse. Interdum fortasse inflammationem ab his partibus in vasa sanguifera majora, nervos, vasa lymphatica, et in glandulas conjunctas transire posse. *Hull* opinionem suam neque sectionibus munit, nec praeterea hypothesis verisimilis videtur; etenim, praeterquam quod sententia illa morbi signa accurate et penitus explicari non possunt, telae quoque cellulosae et musculorum et cutis inflammationes aliis symptomatibus et a Phlegmasia alba diversissimis notatas invenimus. *Steffens* [37]) quoque idiopathicam telae cellulosae inflammationem ponit.

VI) Opinionis denique magis mirae, quam verisimilis, quam *Valpeau* [38]) tradidit, obliviscendum non est. Putat enim ille in affectione primaria *symphyseos sacro-iliacae* morbi causam esse quaerendam; quam inflammationem postea in membrum, et postremo in venas transire.

§. 11.

Ex nostra sententia, quam ea, qua decet verecundia, nunc proferemus, quum persuasissimum nobis sit, quam difficilis et audax noster sit conatus, et quam exiguae et invalidae nostrae sint vires, in *tunicis femoris fibrosis* Phlegmasiae albae primaria est sedes, ejusque natura inflammatoria est. [1])

---

37) *Hufelands Journal.* l. c. p. 106.

38) Bulletin des sciences médicales. 1824. Juillet. cfr. Froriep Notizen. IX. No. 15.

1) Similem opinionem H. *Freyberg* (Dissert. inaug. sistens adnotat. quasdam in phlegm. alb. dol. *Halae.* 1820.) jam pertractavit, tunicarum fibrosarum inflammationis simili-

Praesertim fascia femoralis et cruralis, saepius quoque fascia superficialis musculorum abdominalium, et interdum fortasse nervorum vaginae, quas neurilema appellamus, afficiuntur. Tumor lympha oritur plastica, quae in tela cellulosa secundarie irritata effunditur. Inflammationis illius causa cum a perfrictione, tum ab irritatione locali et mechanica et dynamica, partu orta, repetenda videtur.

Accuratius jam rem et singulatim perlustremus. Morbum illum omnino inflammatorium esse, vix argumentis firmetur, necesse est, omnibus fere hac in re consentientibus. Malum finibus circumscriptum, loco certo inhaerens, dolorificum invenimus, calorem adauctum et febrem observamus. Duo autem symptomata desunt, tumor et rubor. Tumor quidem, nobis opponere potest imperitus, deesse non videtur! Vero autem tumore inflammatorio omnino Phlegmasia alba caret, et quem hic invenimus, non inflammationis praesentis symptoma, sed praeteritae est sequela, quam fortasse crisin nominare possumus falsam. Prior ille adaucto sanguinis affluxu, majore relaxatione (Auflockerung), auctoque materiae organicae, et praesertim telae cellulosae turgore oritur vitali. Quamobrem in quaque parte vasibus paupera atque dura et densa multo minor sit necesse est, (ex. gr. in tunicis fibrosis, in ossibus cet.), quam in parenchymatosa et vasculosa (ex. gr. in tela mucosa, in glandulis cet.) Hic tumor *inflammatorius* transit in tumorem

---

tudinem cum Phlegmasia alba demonstrans. Dubium autem relinquit, haecne in fascia lata, an in musculorum vaginis, an in neurilemate, an in articulorum ligamentis, an in periosteo posita sit, an in hisce cunctis.

exsudativum, qui ex similibus quidem momentis pendet, qui singulari autem quadam sanguinis mixtione mutari potest.

Ipsum autem primitivum illum tumorem inflammatorium nostro deesse morbo et tumorem exsudativum inveniri, signum est tunicarum fibrosarum inflammationis. Identidem, quod rubor deest, aeque atque in angina parotidea, in tumore albo genu rheumatico, tale signat malum. Vehementes illi dolores, late diffusi, plerumque aequales, malum in systemate late et aeque expanso sedem habere nobis demonstrant. Praeterea haec adhuc symptomata utroque in morbo aequalia. Sensilitas partis affectae maxima, et digiti impressio vix perferenda. Tumor amplum nanciscitur circuitum. Aegroti ad sudores propensi; urina largum habet sedimentum. Exsudatio morbi exitus est vulgaris, rarior suppuratio. Morbus noster est chronicus, ut fere semper decurrunt inflammationes tunicarum fibrosarum. Pro causis plerumque perfrictio, et irritatio localis sunt habendae. Phlegmasia alba saepe rheumaticam habet naturam. [2]) Opinionis nostrae argumentum, sit venia verbo, indirectum refutatae, ut speramus, aliorum sententiae nobis praebent, et sectionis narratio in *Casperi* commentario illa; directum autem et valde validum illa, quam *Hesselbach* nobiscum communicavit. Jam autem quaeritur, quomodo tumor oriatur. Equidem ab inflammatoria telae cellulosae irritatione secundaria originem eum

2) Hoc historia secunda, quam *Casper* (l. c. p. 59) narrat, probari videtur. Hacce similitudine *Siebold* (l. c. p. 424) et *Meissner* (l. c. p. 75) commoti, morbum Rheumatismo similem esse acuto, contendunt.

trahere puto, et lympha plastica cum hinc, tum ex tunicis fibrosis ipsis effusa.

Fortasse quispiam dixerit, cur Phlegmasiam albam ex aliis tunicarum fibrosarum inflammationibus proficisci non inveniamus; cur ex Rheumatismo acuto, morbo creberrimo, non proveniat, et cur tandem solis fere appareat in puerperis. Quae dubitationes refellantur, difficillimum non videtur. Quemadmodum mulieris vita graviditate omnibus fere rationibus plus minusve mutatur, ita morbi quoque mutentur necesse est; et sicuti organorum sexualium, apparatus digestionis et respirationis, vasorum et nervorum actiones hoc in statu, quod ad physiologiam pertinet, videmus alienatas, sic ratione quoque pathologica mutatas eas invenimus. Partim propriam et singularem naturam nanciscuntur morbi, partim novi et graviditati soli et puerperio apparent proprii. Quod in nervis, et musculis, in organis digestionis et genitalibus observatio nos docet. Prae omnibus perspicue hoc iis in morbis apparet, in quibus praesertim sanguis agit, inflammatorios dico. In graviditate sanguis multo magis plasticus cruore et fibrina abundat, quum largior et velocior fiat nutritio, et major chyli copia hoc temporis spatio paretur. Tum enim non nutritionem solam et reproductionem administrare debet sanguis, sed etiam productionem et infantis nutritionem. Plasticam illam sanguinis vim adauctam crusta, quae in sanguine gravidis emisso oriri solet, pleuritica nobis probat; porro quod gravidae mulieres corpus saepius agunt, robustiores fiunt, et floridiore gaudent vultu. — Ut hae autem vitae vires adauctae una cum graviditate et partu subito evanescant, fieri non potest, sensim e contrario priori

statui non gravido appropinquare debent; id quod puerperio efficitur. Rationes, quibus utitur natura, lochiorum et lactis sunt secretiones. Hoc modo puerperarum morbi eandem fere formam habent et naturam, quam gravidarum illi, quae natura ipsa hic multo magis perspicua apparet, quum puerperae omnino proniores sint ad morbos, gravidae autem vitae vi aucta a malis nonnullis defensae minus facile aegrotent. Largior illa in sanguine cruoris et fibrinae copia in morbis inflammatoriis nobis se offert inclinatione quadam, qua facile materiae subliquidae (lympha plastica) deponuntur. Sic Arachnitis, Pleuritis et Peritonitis puerperarum notantur, similisque conditio in Phlegmasia apparet alba. Hanc ob rem, quamvis falsum mihi videatur, utrumque morbum habere eundem, certis tamen argumentis mihi videtur confirmatum, morbos illos inter se esse connexos; id quod casus jam illi, in quibus Phlegmasia alba ex illorum morborum quodam orta est, demonstrant. Lactis et Lochiorum secretionibus suppressis inclinationem illam ad exsudationem augeri patet; quas autem solam causam non esse experientia docet.

Reliquum adhuc est, ut operam demus quibusdam morbi proprietatibus opinioni nostrae accomodandis. Prae omnibus quaeritur, cur morbus fere solis in extremitatibus inferioribus inveniatur. Cujus rei causa simplicissime ab eo repetenda videtur, quod multo saepius extremitates inferiores ejusmodi perniciositatibus expositae sunt, quae tunicarum fibrosarum inflammationem giguere possunt, et crurum nudorum perfrictione faciliore, et regionis inguinalis in partu irritatione. Fortasse hoc quoque momentum, quod in

graviditate sanguinis in extremitatibus inferioribus circulatio mechanice impeditur, quae autem vasorum compressio partu subito finitur, parvo momento non est, ut facilius partes illae aegrotent.

Si quis autem hac ab parte opponere quid velit, eo refutatur, quod morbus, etsi rarissime, extremitates superiores quoque afficit.

Nunc aliam tangimus rem, difficilius enucleandam, cur enim tumor deorsum plerumque oriatur et deorsum evanescat. Qui autem descensus, ut jam monuimus, semper non observatur, et fortasse eo explicari potest, quod inflammationi maturitate quadam opus est, ut tumor appareat exsudativus, et sicuti illa (causas secundum illas locales) plerumque deorsum proficiscitur, hic eandem sequatur viam necesse est. Debilitas illa interdum post morbum remanens, nisi fallor, ab inflammatoria vel rheumatica nervorum vaginarum affectione repeti potest, id quod nobis verisimilius adhuc fit, facilem fibrosarum tunicarum inflammationis in aequales partes migrationem considerantibus. In maribus fortasse a simili sanguinis mixtione, simul interdum a irritatione locali morbi origo repetenda videtur; quod observatione accuratiore ipsa confirmari videtur. Complures viri, qui Phlegmasia correpti enumerantur, valde obesi fuerunt, et proni ad depositionem materiae hydrocarbonicae. In gravidis similem invenimus conditionem, quam perspicue ex aucta adipis depositione circa coxas cognoscere possumus. Repetimus denique, et Phlegmasiam albam fasciae latae et cruralis inflammationem propria gravidarum vitae natura mutatam esse censemus. Non possumus, quin dubitationem afferamus, quae nobis

sententiam nostram describentibus orta est; cur enim morbus ille, quum ejus causa tam crebra ejusque sedes tam prona sit ad aegrotandum, raro tantum in puerperis inveniatur. Nescimus; persuasum autem nobis est, hac ab parte opinioni nostrae nihil opponi posse; a morbi enim frequentia vix de ejus natura capere possumus conjecturam, et si ex. gr. dicimus, catarrhos tam frequentes inveniri, quia tunicae mucosae facillime aegrotent, non multo sapientiores sumus, et melius dixerimus, nos censere tunicas mucosas facile aegrotare, quia catarrhi saepe inveniantur.

Quanam ratione Scelalgia puerperarum nostro cum malo conjuncta est? Estne illa, omnia primi Phlegmasiae stadii symptomata ostendens, ut *Boër* quoque putat, idem morbus, et in resolutionem neque in exsudationem exiens, an iisdem certe causis orta nervorum cruralium est inflammatio, nostri morbi soror quasi, id quod *Dugès* illius observationibus probari videtur?

§. 12.

Diagnosis.

Morbus noster tot symptomata perspicua ad diagnosin praebet, ut vix tantum cum alio commutari possit, et apud medicos veteres, quibus hoc saepius accidisse negari potest, causa praecipue in eo erat posita, quod morbi notio adhuc certo definita non erat. Breviter similium morborum signa nominemus diversa.

Oedema a stadio inflammatorio satis discernitur; et in secundo et tertio tantum stadio commutari fortasse

possit. Oedema autem frigidius, mollius, non dolens, profundiores digitorum impressionibus relinquit fossas tarde evanescentes, scalpello immisso magna efluit humoris copia. Aegroti situ horizontali tumor minuitur, qui semper a malleolis incipit. Praeterea alia inveniuntur hydropis symptomata. Haec omnia aliter in Phlegmasia se habent, quae porcellaneo candore adhuc perspicue notatur. —

Pneumatosis hysterica (cfr. §. 2.) satis vago celerique decursu, aliis affectibus hystericis et inflammatoriis symptomatibus deficientibus dignoscitur. — Ab *Ischiade nervosa Cottunii*, a *Scelalgia puerperarum*, quod tumor deest; ab *Emphysemate*, *Erysipelate*, *Tumore albo* et *Rheumatismo calido*, quod tumor omnino aliam habet naturam, penitus discerni potest. — Singulari mentione dignus videtur morbus, quem vocant *Rheumatismum lymphaticum*, [1]) qui magnam cum Phlegmasia alba habet similitudinem, perspicue autem, quum in vasorum lymphaticorum inflammatione consistat, striis rubicundis et tumore sursum oriente dignoscitur. *Varicositas vasorum lymphaticorum*, quam supra monuimus, et decursu et lympha, cultro infixo, prosiliente notatur. Cum *induratione telae cellulosae neo-natorum*, quacum eam comparabant *Stieglitz* et *Lodemann*, [2]) Phlegmasia ne minimam quidem habet similitudinem.

Mentio nobis facienda videtur: *Intumescentiae extremitatum inferiorum post febrem ortae*, quam

1) Schmalz, diagnostische Tabellen: No. 124. p. 25. — *Ferriar* l. c.

2) *Hufelands* Journal. 1810, X. p. 96. *Lodemann:* über die sogenannte Zellgewebsverhärtung neugeborner Kinder.

A. Tweedie [3]) observabat. Morbum describit, cujus originem ex inflammatione telae cellulosae ducit, et cujus symptomata omnia fere cum Phlegmasiae signis congruunt, et venis tantum nimium impletis dignoscuntur. Et cura eadem est, quae Phlegmasiae albae. In mulieribus modo caelebibus eum invenit, XX annos nondum natis; semel tantum in viro, et semel in suppurationem transeuntem observavit. —

Rem gravioris adhuc momenti cel. *Fricke* [4]) nobiscum communicavit. Peculiarem morbum in viris inventum et Phlegmasiae adnumerandum albae autor depingit ille. Aegroti de vehementissimo in manu dolore, digitorum impressione aucto, praesertim a tergo manus ad lacertum usque progrediente queruntur. Tumor postea oriens magnus, calidus et elasticus est, cutisque color plerumque non mutatus, rarius subruber. Valetudo praeterea optima. Membrum tumore resoluto aliquanto post debile adhuc remanet. Telae cellulosae malum causa esse videtur, aetiologia autem obscura. Incisiones profundiores, cataplasmata fervida narcotica, Unguentum mercuriale cet. remedia sunt, quibus optime usus est.

Morbos quosdam denique memoremus necesse est, regionibus proprios tropicis nostroque morbo haud dissimiles. *Cochinchinae* incolae memorabili quodam crurum tumore afficiuntur, nomine *Cochin-leg* noto. [5])

---

3) Edinburgh med. and surgic. Journal. No. XCVII. Octob. 1828. cfr. Salzburger med. chir. Zeitung. 1829. I. p. 218.

4) J. C. G. Fricke, Annalen der chirurgiſchen Abtheilung des allgemeinen Krankenhauſes zu Hamburg. Hamburg. 1828. Salzburger med. Zeitung. 1829. III. p. 326.

5) *J. Clarke*, Observations on the diseases of the East-Indies.

Similia mala in Africa invenimus, ubi crures, brachia et scrotum enormi extenduntur tumore. Hic autem morbus eo a Phlegmasia discernitur, quod aegroti motum neutiquam impedit, non dolet, aegrotusque praeterea omnino bene se habet. Indigenas solum invehit. Mali sedes in tela cellulosa esse videtur, et merito fortasse pro priscæ Elephantiasis illius reliquiis habetur.

Alius morbus in insula *Barbados* (in India occidentali) invenitur, quem vocant: *the leg of Barbados* [6]), in vasorum lymphaticorum inflammatione consistens. Quæ inflammatio, una cum febri, intermittentem habet formam. Vasa lymphatica et glandulæ rubræ, dolentes et tumidæ apparent. Primum post impetum anno interdum præterito alter, postea tertius apparet, quibus crus magis magisque intumescit. Desectio telam cellulosam ostendit spissatam, fibrosam, passimque massa gelata impletam, et vasa magno numero dilatata.

§. 13.

Prognosis.

De Prognosi pauca tantum dicamus necesse est, quum, quæ huc pertineant, ex §. 7. jam pateant.

Quamvis plurimi autores prognosin habeant pessimam, hæc sententia eo nobis reducenda videtur, ut morbus molestis magis, quam mortiferis ipsis sit ad-

---

Edit. 2. Lond. 1792. p. 97. F. Schnurrer, geographiſche Noſologie. Stuttgart. 1814. p. 426.

6) Hilary, Beobachtungen über die Veränderungen der Luft und die Krankheiten auf Barbados. Aus dem Engliſchen. Leipzig. 1796.

numerandus, quum exitus ille funestus magis a complicationibus periculosis, quam a morbo ipso pendeat. Haccum nostra opinione et *Struve* illius consentit, ut nunc videmus. Ille quoque morbum solum numquam observavit mortiferum, bis autem complicationibus. [1]) Inter alias Phlebitis, Peritonitis, Metritis, Putrescentia uteri, et Pleuritis inventæ sunt mortem afferentes.

§. 14.

Medela.

Phlegmasiae albae therapia aliquanto melius se habet, quam Aetiologia; omnia autem enumerare remedia, quibus usi sunt medici, et quæ commendarunt, nihil aliud esset, nisi pharmacopœam conscribere. Contendere possumus remediorum internorum vim multo infirmiorem esse, quam externorum. Nunc præcepta therapeutica pro opinione nostra ætiologica et pro morbi stadiis exhibeamus. Quod ad prophylaxin pertinet, puerperis nihil commendari potest, nisi ne refrigerentur, et ne maturius surgentes ambulent. —

In *Stadio primo* inflammationi repugnandum est. Venæsectiones autem, ut in quaque tunicarum fibrosarum inflammatione, contra febrem tantum vehementissimam prodesse possunt, cujus vim sthenicam coërceant; adversus inflammationem ipsam nihil pollent. Hoc jam *Puzos* concedit. Hirudines autem numero sufficiente (XVIII — XXIV) adponi debent cruribus;

---

1) l. c. p. 64 et 67.

quacum re *Davisii* [1]) quoque conveniunt observationes. Sanguinis emissionem quamcunque adversantur *Albers*, *Boër* et *Stromeyer*. *Struve* [2]) quidem antiphlogosin modicam utilem censet, sanguinis autem emissionibus et præcipue universalibus apud ægrotas tam languidas noceri. Autores ceteri omnes concedunt locales saltem. Præterea Anthiphlogistica dentur: *Nitrum*, *Tartarus depurat.* (a pluribus laudatus), *Kali Sulphuricum*, aliaque salia neutra, quibus apte Diaphoretica addi possunt levia: *Liq. Ammon. acet.*, *Vin. Antim. Huxham.* — Præterea *Calomel* (singulis horis gr. $^1/_2$ — 1), præsertim cum *Opio* vel *Extr. Hyoscyami*, vel *herb. Digit. purp. (Hull)*, quæ coniuncta ad dolorem sedandum præcipue possunt prodesse; *Tinct. Digital. purpur.* (gtt. XX mane et vespertine) et *Antimonialia*, quorum autem efficacitatem *Davis* non magnam invenit, utilia esse possunt. — *Boër* arcano, quod Antimonium continuisse videtur, gloriatur. Alvi exonerationum cura remediis laxantibus antiphlogisticis et clysmatibus est gerenda. — *Struve* et *Sankey* magnum pretium remediis illis laxantibus, neque immerito, statuunt. Ille sex ad octo dies iis una cum clysmatibus emollientibus usus ad remedia transiit roborantia; haucce commendat formulam:

Rp. Sem. papav. alb. ℥β
f. l. a. c. Aq. flor. Chamom.
Emuls. ℥viij. c. add.
Natr. sulph. s. Magn. sulph. ℥j.
Extr. Hyoscyam. gr. XVI — XX.
Syr. Mann. ℥j.
M. S. Omni bihorio cochlear unum est hauriendum.

1) l. c. p. 735.
2) l. c. p. 69 et 72.

Davis [3]) contra laxantia putat inutilia. His remediis victus vitæque ratio respondeat necesse est; et præsertim infans sæpe mammis admovendus est. Membrum ipsum ut subfrigidum reddatur, nullis obtegumentis adhibitis, vel aquis volatilibus inspersis, *Davis* suadet. Remedia autem externa humida hoc in stadio omni suspicione non carent, neque semper tolerantur, quod jam morbi natura vult. [4])

In *Stadio secundo et tertio* operam dare debemus, ut morbus ad exitum quam felicissimum et celerrimum adducatur. Præ ceteris igitur resolutio spectanda est, et medicus diligenter habeat rationem, quam crisium viam ingressura sit natura, ut aptis remediis eam adjuvet. —

Si cutis apparet calida et humida, pulsus plenus et undulatus, si ægrota, ne multa dicam, propensa videtur ad sudores, *Diaphoreticis* uti possumus: *Kal. acetic.; Ammon. acetic.; Ammon. muriat.; Antimonialibus* in dosi refracta; *Camphora; Spec. ad decoctum lignor.;* Infus. *flor. tiliae* vel *Sambuci. Rad. Ipecacuanh.* in dos. refract., vel ad vomitum ipsum præcribi potest; et a remediis vomitoriis multa fortasse exspectari possunt, quamvis experientia nihil adhuc docuerit. — *Jörg* [5]) methodum illam diaphoreticam una cum remediis derivantibus præfert ceteris; *Struve* [6]) autem omnem hoc in morbo sudorum crisin negans diaphoretica sumi non jubet. Operam quoque

---

3) l. c. p. 736.

4) cfr. *Struve.* l. c. p. 84.

5) l. c. p. 898.

6) l. c. p. 80.

demus necesse est, ut affectæ partis ipsius perspiratio quam maxime sustineatur et augeatur, quam ob rem crura laneis pannis involvenda sunt, materiis aromaticis, baccis Juniperi, Myrrh. Olibau. vel Sal. Ammon. depur. suffumigatis. Frictiones quoque siccæ prodesse possunt. *Carus* [7]) pulvinos herbis aromaticis aridis impletos, quibus *Struve* [8]) quoque exitu optimo ad dolores leniendos usus est, eosque per totius morbi decursum adhibendos commendat. — Contactu vix tolerando, doloreque ad summum aucto, *Siebold* [9]) *Aq. Saturn.* landat, frigide imponendam; Alii autem, ut *van Swieten*, fomentationes cum sapone. *Pulv. Doweri* quoque, vel *Extr. Hyosc.* vel *Aq. Laurocerasi* prodesse possunt. Externe herbis narcoticis (Ex. gr. Cicut. Hyosc. Belladonn. fol. recent. Digital.) ad fomentationes tepidas uti possumus. — Medicorum nonnullorum Anglicorum [10]) tota medela fomentationum ex aceto vini fervido, cui panni lanei immerguntur, paratarum usu cernuntur, dum præterea nihil, nisi ut alvus aperta sit, curant. Similiter *Dr. Lettson* [11]) cataplasmatibus ex capitibus papaveris paratis dolorem acerbissimum mitigavit, tumoremque fomentationibus ex *Spirit. Mindereri*, vel *Plumbi acetici* solutione, levi simul compressione adhibita, mox resolvi posse affirmat.

Natura autem in organis gastricis monstrante viam,

---

7) l. c. p. 539.

8) l. c. p. 83.

9) l. c. p. 442.

10) London med. and physical Journal. Vol. V. p. 95.

11) *Horns* Archiv. l. c. p. 211.

qua excretionibus criticis resolutionem adjuvatura sit, turgescentia hæc remediis aptis leniter laxantibus augenda est. Hic salia media utilia esse possunt: *Natr. sulph.; Tartar. natronat.; Kal. sulphuric.;* porro: *Pulp. Tamarindor.; Mann.; Calomel; White* et *Levret Cremorem Tartari* laudant. —

Si denique molestia quaedam sentitur in regione renali, nisus quidam in vesica, si cutis arida, urina copiosior fit, hæc secretio diureticis mitibus est adjuvanda. *Aq. petroselina*, *Infus. baccar. Juniperi, Herb. Digital. purpur.* [12]) et *Rad. Scillae* ipsa praescribi possunt. Hanc quoque crisin urinalem *Struve* [13]) negat. Victus quoque ratio servanda est, quam ob rem praecipue obsonia leniter diuretica illa commendari debent. Optime interdum remediorum illorum compluria conjungi possunt. —

Multum a remediis omnibus illis exspectare non possumus, id quod narrationes multae, praesertim *Steffens* [14]) illius et *Casperi* [15]), perspicue docent. Majoris momenti usus est remediorum externorum. Prae omnibus *vesicantia* celebrantur, quae periscelidibus similia infra vel supra genu circumponenda docuit *Boër* [16]): *Davis* autem et alii in superiore loco regionem prope inguinalem adplicanda ea censent.

---

12) *Davis* hoc remedium (2 gr. omni bihorio) commendat cum *blue pills* illis, ex hydrargyro oxydulato, conserva rosarum, et radic. Liquirit. compositis.

13) l. c. p. 79.

14) *Hufelands* Journal. l. c. p. 104.

15) l. c. p. 63.

16) l. c. p. 134.

Tumore diminuto infra vel supra repetantur necesse est, quoad efusum quodque evanuerit. *Sankey* illi de eorum salubritate tam persuasum est, ut specifica ea habeat.

Vires mentione dignas vesicantoria habuisse *Gittermann* [17]), *Wyer* [18]), *Becker* [19]) et alii narrant. In casu illo, quem *Meissner* tradidit, nihil profuerunt. *Struve* [20]), qui nunquam fere iis usus est, ea morbo nondum erupto contrastimuli quasi modo morbum supprimere posse putat. Sine omni dubitatione partium affectarum metamorphosin excitant, et resorptionem augent; quam ob rem, nisi inflammationis fastigio jam præterito, applicari non possunt. [21]) — Simili ratione moxam quoque commendatam invenimus. [22]) —

Aliud remedium valde laudatum *Unguent. hydragyr. ciner.* est, quod autem porro observationes comprobent necesse est. *Steffens* XII per dies eo (unguent. mercur. et ung. Alth. aa) usus perfectam sanationem effecit. Idem *Struve* [23]) commendat. Ne ptyalismus oriatur, similiter, ac in Calomelanos usu, cavendum est. Doloribus valde cruciantibus, *Ol. Hyosc.* vel *Ung. de digital. purpur.* remedio illi addi possunt.

---

17) *Hufelands* Journal. l. c. p. 86.

18) ibidem. l. c. p. 56.

19) „ l. c.

20) l. c. p. 82.

21) Quam noxia vesicatoria priore morbi stadio applicata esse possint, cfr. *Moore:* in *Horns* Archiv. l. c.

22) *Boyle* in: Med. chir. Review. 1827. Jan. — cfr. Froriepś Notizen. XVIII. 2.

23) l. c. p. 85.

Liniment. quoque *volatile camph.* infricari potest, quod ægrotæ a nobis observatæ magno fuit commodo. Hoc quoque vel *Oleum Hyoscyam. coct.* cum *Camphor.* et *Laud. liquid. Sydenh. Struve* laudat.

Morbi autem symptomatibus suppurationem orientem monstrantibus maturatio cataplasmatibus emollientibus acceleranda est; fluctuatione autem perspicue cognita ne aperire cessetur, ut major telae cellulosae destructio prohibeatur. Tumore aperto, et pure remoto dolores celeriter deminuuntur. — Si suppuratio fit profusa, vires prostratae, morbusque hecticus, apta remedia postulantur, praecipue *Cort. Chinae* et victus nutriens et facilis concoctu. — Si febris asthenicam habet formam et naturam, remediis illis notis excitantibus et nervinis utendum est (ex. gr. Flor. Arnic.; Rad. Serpentar. Virginian; Rad. Angelic.; Rad. Valer.; Naphthis. et Camphora.)

Sin autem febris naturam putridam præbet, a cortice Chinae et acidis mineralibus auxilium petendum est.

Si pedum tumor quis remanere minatur, ex remediis jam laudatis externis et internis aptissima eligenda sunt, et excitantia prae omnibus utilia erunt. Interne sumenda laudantur: *Res. Guajac.*, *Myrrha*, *China* et *Vinum.* Externa autem: *Liniment. saponat. camphorat.*, *Olea aetherea.*, *Fumigationes aromaticae. Electricitate* quoque *Boër* [24]) et *Callisen* [25]) usi sunt, magno autem sine fructu. Utilissima interdum involutio membri leniter comprimens fuit, vel tibiale

---

24) l. c. p. 134.
25) l. c. §. 40.

quoddam e corio canino confectum. Si tumore remoto affectus oriuntur œdematosi in pedibus, mox remediis diureticis una cum tonicis adhibitis evanescunt. Torpore quodam paralytico in extremitatibus remanente, maximum auxilium a balneis salinis, quae *White* et *Albers* laudarunt, exspectari potest. Praeterea victus vitaeque ratione aegrotae vires adjuvandae, et morbus recidivus prohibendus est.

MORBI HISTORIA. *)

Carolina S. vigenti quinque annos nata, corpore gracili ac tenero, militis conjux prima vitæ ætate optime valuisse, et cachexia scrofulosa Halis haud rara neutiquam laborasse videtur. Aeque ab affectibus rheumaticis nunquam vexabatur. Menstruatio, quæ anno quarto decimo ullis sine incommodis inceperat, ad primam usque, quam nuper peregerat, graviditatem non turbata mansit et regularis. Graviditas quoque sine incommodis transiit, inter quam ipsam se melius et validius se habuisse affirmat. Nulli affectus symptomatici mulieri molestias exhibuerunt,

*) Quam materiam uberis ex scientiae nostrae thesauris tractandam eligerem, haesitanti mihi consueta humanitate aegrotam illam observandam tradidit clar. ille *Hohl*, medicinae professor Halensis, et de Phlegmasia alba scribendi consilium confirmavit, quam propter amicitiam animique benignitatem viro illi dignissimo gratias publice agam, quam maximas, necesse est.

neque œdema, nec varices, nec extremitatum inferiorum dolor morbum imminentem prædixerunt.

Die XXI Martii puerum validum partu edidit. Nocte jam præcedente aquæ effluxere, et quum infantem horam unam editum secundæ non sequerentur, magnumque sanguinis profluvium omnibus cum totius virium consumtionis symptomatibus accederet, clarissimus *Hohl* ille interim arcessitus placentam solvit, quo facto et placenta extracta mox hæmorrhagia desiit. Pro causa morbi futuri occasionali præcipue haberi potest, partum in cella aëri pervia peractum esse, et mulierem maturius surrexisse, et per domum incessisse.

Die jam proximo (I^mo M. Aprilis) se levem in coxa nateque dextra dolorem percepisse dicit mulier, qui auctus multoque vehementior ita quidem descendit, ut certa via eum progredi dignoscere non possimus. Totum membrum ubique æqualiter doluit. In abdomine nullum doloris sensum habuit.

D. XVI M. Aprilis coxa dextra intumescere incepit, quam sensim reliqua extremitatis pars sequebatur. — Dolor adhuc vehemens, et membrum omnino inutile. Lochia initio non copiosissima paulo post optime se habuerunt. Lactis secretio plane sufficiens fuit, et totum per morbum ita mansit, ut infans bene valeret et cresceret. Clar. ille *Hohl* (XVI. April. iterum arcessitus) praescripsit:

Rp.

Nitr. depur. ʒij
Vin. stibiat. ʒβ
Aq. fl. Sambuc. ℥vj
Syr. Rub. Idaei ℥β.

MDS. Omni bihorio cochlear unum; et porro:

Rp.

Opii pur. gr. $^1/_2$
Camphor. gr. iij
Kal. sulphuric. gr. jv
Sacch. alb. ℈β.
M. f. p. dntr. tal. dos. No. 2.
S. Vespertiue pulv. unus.

Praeterea injectiones tepidas in vaginam fieri, et partes tumidas pannis laneis Baccis Juniperi suffumigatis involvi, partesque ipsas nonnunquam fumo illo suffiri, jussum est.

Tali modo res ad XXIII. d. M. Aprilis usque se habuit. Tumore aliquanto diminuto, aegrota nonnullis jam ex diebus questa est in *sura* sinistra de dolore haud dissimili illi, quem antea in coxa perceperat. Tamque vehemens hic factus est, ut contactus tolerari et membrum moveri nequiret. Tum extremitas sinistra quoque intumescere cœpit, tumore quidem deorsum non descendente, sed sursum a sura proficiscente, ita ut nocte una coxam adtingeret. Tumore orto dolores valde remiserant.

D. XXIX ad aegrotam adii. Tumor sinistri praesertim cruris, quod majore videbatur circuitu, aequalis, levis, satis densus, albidus apparuit et calidus; extremitatem a regione inguinali ad pedis digitos usque extendit, et Ligamentum Poupartii transgressus in umbilici regione evanescit; in tergo marginem costarum inferiorum tangit, quamvis hic minus densus et magnus sit, quam in crure ipso. Se non dolorem verum, sed pulsandi et premendi sensum quendam percipere aegrota affirmat. Digitorum impressione

fossiculae quidem, mox autem evanidæ, in tumore oriuntur, qui omnino ab œdemate diversus apparet. Labium pudendum dextrum valde intumuit, sinistro omni tumore carente, ita ut totum hoc illo fere obtegeretur. Ex vicesimo quinto Aprilis die lochiorum fluxus desiit, suppressus autem non erat. Aegrota omni febre adhuc non carente, arteriarum pulsus frequens et excitatus per horae partem sexagesimam LXXXX habuit ictus; cutis secretio copiosissima; lingua humida et ex flavo albide obtecta. De molestiis gastricis, de nausea cet. aegrota questa non est, ciborum tamen adpetitu caruit; alvus paululum obstructa secundo quoque die exonerabatur. Sitis vehemens; somnus inquietus levibusque deliriis interpellatus esse, et vespere febris augeri dicitur, angore quodam interno aegrotam cruciante, quam autem rem magni momenti non esse cognovi. Praescriptus erat: *Cremor tartari*, et quo cutis secretio sustineretur: *Infus. Flor. Sambuc.* Suffumigationes illas persecuti sumus.

D. XXX. Aegrotae status idem. Urina turbida fuit et rutila, largumque habuit sedimentum album.

D. I. Maj. Aegrota satis quiete dormivit. Tumor idem, attamen se paulo melius genu flectere posse affirmat mulier.

D. II. Alvo fuit aperta. Totum corpus sudore copioso manat utramque praeter extremitatem affectam. Lingua purior, sitisque minor.

D. IV. Heri mane, postquam dolorem quendam in abdomine percepit mulier, et borborygmatibus laboravit, bis terve alvi profluvium adparuit. Posthac Lochiorum fluxus iterum incepit. Tumoris circuitus idem.

D. VII. Lochiorum secretio ex nocte praeterita, ad quam usque permanebat, desinit. Urina pallida, limpida, pellucida et copiosissima est. In crure sinistro maculae rutilae haud perspicuae neque admodum multae apparent. In abdomine, praecipue in regione umbilicali et mammas versus, *neutiquam autem in extremitatibus adhuc semper tumidis*, satis copiosa Miliariae eruptio, vesiculae parvae humore quodam lacteo et tenace fere repletae sunt ortae. Febris omnino deest, pulsus vix anomalus, tranquillus et mollis LXV ictus per horae partem sexagesimam habet.

D. VIII. Quum aegrota eodem modo se haberet, *Infus. Baccar. Juniperi* et *Liniment. volat. camphorat.* cruri infricandum praescripta sunt.

D. IX. In sinistrae surae latere interno locus mollior et fracidus quasi apparet, et in pedis dextri lateribus infra malleolos, ubi vix efusae materiae aliquid erat, nonnullae miliariae vesiculae ortae sunt.

D. XI. Tumor aliquanto diminutus praesertim in cruribus minus aequaliter sentitur. Crurum cutis transversas ostendit depressiones, rimis haud dissimiles, tanquam si laxior esset. Ejus color sanus et naturalis est. Et nunc quoque tumor haud oedematose sentitur, sed, ut ita dicam, glutini coagulato similiter (gallertig). Urina copiosissima limpidior adhuc est.

D. XV. Tumor tam celeriter minuitur, ut in femore dextro totus fere evanuerit, et in crure multo minor sit. Surae musculi relaxati; tibia perspicue sentiri potest. Hujus lateris genu in statum naturalem rediit. Magis adhuc tumida extremitas est sinistra,

Digitized by Google

serius affecta; mollis tamen apparet. Circa malleolos similes miliariae vesiculae ortae sunt. Crurum cutis similiter maculis rubris obtecta est, femorum autem et abdominis scabra epidermide deglubitur. Alvi exonerationes regulares, urina copiosa.

D. XIX. Extremitas dextra, tumore circa malleolos quodam excepto, omnino in statum naturalem rediit; et sinistra quoque multum decrevit, levem tantum dolorem ostendens pressu vehementiore. Aegrota nunc lectum relinquens pedibus insistere, et breve tamen tempus ambulare potest, quo autem poplitem tendi queritur. Praeterea mulier optime valet, somnoque tranquillo recreatur.

D. XXII. Sudor et urina semper adhuc larga sunt. Sinistra quoque extremitas, simili tumore in cruris parte inferiore excepto, sana est. Musculorum debilitas mentione digna videtur. Pedem paululum quidem movet aegrota; musculos autem surae laxos contrahi vix sentiri potest. De tensionis quodam sensu adhuc queritur in poplite. Pedum balnea salina jussa sunt, quibus magno sine emolumento utebatur.

Medio mense Junio mulier perfecte sanata levi tantum illo circa malleolos tumore, nec cedente, laboravit.